


PEREGRINATORES MEDII AEVI QUATUOR

BURCHARDUS DE MONTE SION
RICOLDUS DE MONTE CRUCIS
ODORICUS DE FORO JULII
WILBRANDUS DE OLDENBORG

QUORUM DUOS NUNC PRIMUM EDIDIT
DUOS AD FIDEM LIBRORUM
MANUSCRIPTORUM
RECENSUIT

J. C. M. LAURENT



LIPSIAE
J. C. HINRICHS BIBLIOPOLA
1864

FRATRIS RICOLDI DE MONTE CRUCIS

ORDINIS PREDICATORUM

LIBER PEREGRINACIONIS.

LECTURIS

S.

Odorici Foroiuliensis librum quendam indagantes, incidimus in hanc Ricoldi peregrinationem, quae continetur codice Guelpherbytano inscripto: No. 40 mst. Weiss., chartaceo, forma maiore, saeculi XIV, foliorum 110. Insunt itineraria M. Pauli Veneti, Oderici, Ricoldi, Guilielmi a Boldensele. Ricoldi de Montecrucis peregrinatio legitur foliis 73b—94b.

De vita Ricoldi si quaeris, haec fere habet Iacobus Quetif s. Echard in libro inscripto: *Scriptores ordinis praedicatorum* T. I p. 504b:

„F. Ricoldus, aliis Riculdus, vel etiam Ricardus de Montecrucis, Etruscus Florentinus, domus Sanctae Mariae Novellae alumnus, vir doctrina ac pietate clarus, sed studio fidei propagandae ardentissimo incensus, sub finem seculi XIII et initio sequentis floruit. Iussu summi pontificis in Asiam cum se contulisset, infidelium in illis regionibus orientalibus degentium terras vastissimas peragravit, ubique divini verbi praeconem apostolici plane pectoris se exhibens, ac innumeris pro religione exantlatis laboribus gravissimisque apud Mahumetanos persecutionibus perpessis illustris. Sed praeclara eius gesta ex eius operibus, quorum duo supersunt, certius cognoscentur. Haec vero sunt: 1. *Itinerarium peregrinationis F. Riculdi ord. FF. Praedicatorum.* Latinum mihi non occurrit, sed Gallice a F. Iohanne Lelong anno 1351 redditum vidi Parisiis in Regia cod. 8389, aliâs XLII, a Labbeo in Spec. antiq. lect. p. 309 recensito, qui codex fol. max. pellibus vitulinis elegantibus constat et figuris auro minioque distinctis, quae regiones et urbes, quas in Asia Ricoldus percurrit, repraesentant, ubique ad quodque caput ornatur ac micat. Similis codex recensetur in Bibl. Cotton. in Anglia armario *Otho* inscripto, Tab. D. II. cod. — 2. *Confutatio Alcorani.* Extat in Colbert. cod. 2273 fol. memb. Qui codex collectio est plurium eiusdem argumenti tractatuum. Extabat etiam Venetiis apud SS. Io. et Paul., ex quo F. Marcus Antonius Serafinus Venetus, baccalaureus, eiusdem domus sodalis, primigenio auctoris stylo praelo commisit Venetiis, typis Dominici de Imbertis 1609 in 4., pagg. 63. Titulum indidit Editor: *Propugnaculum fidei toti Christianae religioni adversum mendacia et deliramenta Saracenorum Alcorani praecipue maxime utile.* Hunc tractatum Demetrius Cydonius, medio seculo XIV florens, e Latino Graece reddidit: quae versio extat Paris. in Reg. cod. 1836 fol. mag. charta orient. Titulus: *Ἀνατροπὴ κεφαλαιώδης τοῦ νόμου Μωάμετ ὑπὸ μὲν Ῥινάρδου* (sic, sed leg. *Ῥιχάρδου*) *τινὸς ἐκτεθεῖσα λατινικῶς. Confutatio summaria legis Mahometi a quodam Ricardo Latine edita.* Cur Riculdi nomen in Ricardi mutaverit Demetrius, ignorare me fateor, nisi forsan sua aetate a quibusdam Ricardus nominatus fuerit. E Graeco Demetrii Latine se reddidisse gloriatur Bartholomaeus Picenus de Monteardo, quam translationem edidit Romae typis

Ioan. Besicken 1506 in 4. Quae editio Paris. in Reg. D. 1554. Sed et prodiit pluries postea.“ Caeterum censet Quetif v. Echard Ricoldum Alcoranum non integrum, quae erat Pocciantii sententia, sed ex parte tantum Latine reddidisse, et *epistolas ad ecclesiam triumphantem in suspiriis amari animi* scripsisse. Praeterea eiusdem *Libellus ad nationes orientales de discrimine inter Iudaeos, gentiles et Mahumetanos*, servatus apud Sanctam Mariam Novellam Quetifio v. Echardo teste laudatur a Pocciantio. „*Christianae fidei confessio facta Saracenis pia et spiritum apostolicum redolens* ex stylo aliisque rationibus ab editore censetur nostri Ricoldi s. Ricardi. Haec prodiit in collectione supra laudata ad calcem confutationis legis Saracenorum a p. 184 ad 192. Obiisse dicunt Florentiae XXXI octob. MCCCIX. Sic Pocciantius, fortasse ex necrologio Sanctae Mariae Novellae; quem nempe ferunt ex oriente a summo pontifice seu Benedicto XI seu Clemente V revocatum, qui quaedam circa fidem illarum nationum dubia declararet.“

His sive Quetifii sive Echardi verbis a nobis excerptis ea etiam addenda ducimus, quae Ricoldus ipse in praef. § 2 profert: *sese longas et laboriosas peregrinaciones assumpsisse, quum adhuc secularis extiterit, ut addisceret illas seculares sciencias, quas liberales appellent.* Cf. etiam T. Tobleri topographiam Hierosol. I p. XXVI. Tiraboschium IV p. 105 sq. Gudeni syllogen monument. p. 383. Valete et voluptate eadem, qua nos descripsimus, legite libellum.

INCIPIT ITINERARIUS FRATRIS RICOLDI, ORDINIS FRATRUM PREDICATORUM.

Cum ego, frater Ricoldus, minimus in ordine predicatorum, recogitarem frequen- 1
ter incomprehensibilitatem [1]) et intensionem diuini amoris ad genus humanum, quod sic Deus dilexit mundum, vt Filium Suum Vnigenitum daret, et ipse Altissimi Filius suam peregrinacionem diligenter nobis ad memoriam reduceret, vt ea non essemus ingrati, dicens: „*Exiui a Patre et veni in mundum*“[2]), et quomodo eciam natus pauper et paruulus cito nec sibi nec matri pepercit a longa et laboriosa peregrinacione, sed cum matre paupere et sene baiulo peregrinatus est in Egiptum, vt fugeret aduersarios suos, cui non inerat causa timoris: decreui, quod esset michi ualde ignominiosum, quod [3]) post tot beneficia suscepta, que solus ipse nouit, qui me vocauit et segregauit de mundo et assumpsit ad tantum ordinem, vt essem testis et predicator ipsius, nisi [4]) cogitarem vias meas et conuerterem pedes meos in testimonia sua. Cogitaui, inquam, non esse tutum, 2
quod ego longo tempore sederem et ociosus essem et non probarem aliquid de labore paupertatis et longe peregrinacionis; maxime cum in mente mea reuoluerem, quas longas et laboriosas peregrinaciones assumpseram adhuc secularis existens, vt addiscerem [5]) illas seculares sciencias, quas liberales appellant. Suscepta igitur obediencia domini pape 3
mediante magistro ordinis incipiens peregrinacionem traniui mare, vt loca illa corporaliter viderem, que Christus corporaliter visitauit, et maxime locum, in quo pro salute humani generis mori dignatus est, vt memoria passionis eius in mente mea imprimeretur tenacius, et sanguis Christi pro salute nostra effusus esset michi robur et firmamentum ad predicandum et moriendum pro illo, qui michi sua morte vitam donauit.

I. DE GALILEA.

Veni igitur in *Accon*, et inde itinere diei vnius viginti miliaria cum multis Chri- 1
stianis veni in *Galileam*. Et primo peruenimus ad *Chanam* [6]) *Galilee*, vbi Christus fecit 2
inicium signorum, aquam conuertendo in vinum. Est autem Chana Galilee quarto vel 3
quinto miliario a Nazareth. Ibi extra casale inuenimus puteum, vnde ministri hauserunt 4
aquam implentes ydrias. Ibi inuenimus locum nupciarum et loca et formulas ydriarum. 5
Ibi cantauimus et predicauimus euangelium nupciarum. Ibi rogaui Christum, quod, 6 7

1) Cod. G.: *incomprehensibilitate*.
2) Ev. Joh. 26, 28.
3) *quod*] melius *nisi*.
4) *nisi*] Iam praecessit coniunctio *quod*.
5) Cod. G. *adiscerem*.
6) Cod. G. *Canam*.

sicut aquam in vinum conuerterat, aquam mee insipiditatis et indevocionis conuerteret in vinum compunctionis spiritualis saporis.

Inde recto cursu venimus casale, quindecim miliaria a Genesareth, quod est super mare Galilee. Ibi in descensu montis super mare cantauimus euangelium de illis duobus demoniacis, quos Christus curauit ibi a legione demonum, quos Christus concessit intrare in porcos. Ibi rogaui Dominum, quod me ab infestacionibus liberaret.

Inde descendimus in *Bethsaidam*, quinque miliaria, ciuitatem Andree et Petri, que est iuxta mare Galilee. Et venimus iuxta mare, et cantauimus ibi euangelium [7] „*Ambulans Ihesus iuxta mare Galilee.*“ Ibi rogaui Christum, vt me ad suum discipulatum vocaret et faceret piscatorem hominum.

Inde ascendimus tria miliaria ad montem, qui est supra mare Galilee, vbi Dominus sedens sermonem ad discipulos fecit. Et cantauimus euangelium [8] „*Videns Ihesus turbas ascendit in montem.*“ Ibi rogaui Dominum, quod me totaliter a desiderio terrenorum leuaret et mentem meam ad celestia leuaret.

Inde ascendimus ibi prope ad montem, vbi Dominus fecit conuiuium de quinque panibus ordeaceis. Et cantauimus euangelium et predicauimus, et postea sedentes per ordinem super herbam et fenum fregimus panem et manducauimus omnes cum leticia et lacrimis.

Ibi prope quatuor miliaria est cisterna vetus, in quam proiecerunt Ioseph.

Ibi eciam prope est castrum *Saphet*, clauis tocius Galilee.

Inde descendimus in *Capharnaum* et venimus ad locum, vbi leprosum curauit Dominus [9], et postea ad locum, vbi beatus Matheus ad theoloneum accepit vectigalia. Et cantauimus et predicauimus euangelium de vocacione Mathei.

Inde regirantes iuxta mare Galilee venimus ad *locum tabule*, duo miliaria. Que est iuxta Capharnaum et Bethsaidam in loco, vbi Dominus post resurrectionem suam apparuit discipulis, stans in litore, et vocauit de mari, et inuitauit eos ad prandium. Et cantauimus et predicauimus euangelium, et manducauimus omnes vbi manducauit cum eis panem et piscem.

Inde regirantes sex miliaria iuxta mare Galilee versus Bethsaidam et Genesareth [10] venimus ad *Magdalum*, castellum Marie Magdalene, iuxta stagnum Genesareth. Vbi flentes et eiulantes pro eo, quod inuenimus ecclesiam pulchram et non destructam, sed tabulatam [11], et [12] ibi cantauimus et predicauimus euangelium Magdalene.

Inde venientes iuxta mare Tiberiadis venimus quinque miliaria *Tiberiadem*. Et inuenientes ibi multa memorialia digna inter alia hec notaui, quod in mari Tiberiadis tota aqua et in omni loco dulcissima est et suauissima ad potandum, cum tamen in multis partibus intrent in eo aque fetentes et sulphuree et amarissime.

Inde vero ascendentes in montem altum, vt veniremus ad altissimum montem Thabor, decem miliaria, venimus in *Bethuliam*, paruulam ciuitatem Iudith, unum miliare. Ad pedem ciuitatis quieuimus ad fontem, ad quem Iudei obsessi ab Holoferne exibant ad refocillandum.

7) Matth. IV, 18-

8) Matth. V, 1.

9) *Dominus* om. cod. G.

10) *Genesareth*] Et pro hoc, et pro sequente nomine Cod. G. habet *Genesar*.

11) *tabulatam*] Cod. G. habet *stabulatam*.

12) Copula supervacanea est.

Et transeuntes Bethuliam ascendimus montem *Thabor*, quinque miliaria. In cuius montis descensu Melchisedech obuiauit Abrahe, vt dicitur in historia scolastica de transfiguracione Domini. Et predicauimus flentes et admirantes de tanta destructione. Inde vidimus partem Arabie, viginti miliaria, et montem, vbi vel vnde deriuantur [13]) Ior et Dan, qui iniciant Iordanem. Inde vidimus montes Gelboe, quadraginta duo miliaria. 32 33 34 35 36

Ad pedem montis Thabor est campus magnus *Esdrelon*. 37

Et pertranseuntes *Naym* festinauimus in Nazareth, tredecim miliaria. Et ascendentes in montem venimus *ad saltum Domini*, duo miliaria, vbi Iudei voluerunt precipitare Christum, cum incepit eis legere et predicare. Ibi legimus et predicauimus euangelium. Ostendebant autem quedam vestigia Christi pedum et itineris in saxo, que dicebant esse vestigia pedum Christi. 38 39 40 41

II. DE NAZARETH.

Inde venimus in *Nazareth*. Et inuenimus magnam ecclesiam, quasi totam diru-tam, et nichil erat ibi de primis edificiis nisi sola cella, vbi fuit annunciata domina; illam superreseruauit Dominus ad memoriam humilitatis et paupertatis. Est autem ibi altare domine in loco, vbi orabat domina, quando missus est Gabriel angelus ad eam, et altare archangeli Michaelis, vbi stetit Gabriel adnuncians. Et in vtroque celebrantes missas et predicantes verbum Dei circuiuimus et perambulauimus ciuitatem, maxime loca illa, que magis frequentabant domina et puer Ihesus. Inuenimus autem ibi iuxta ciuitatem fontem, qui est ibi in maxima veneracione pro eo, quod domina aliquando ad fontem illum [14]) et puer Ihesus frequenter portabat inde aquam matri. Iuimus eciam ad synagogam, in qua legit Ihesus Ysaiam prophetam, triginta miliaria. 1 2 3 4 5 6

Omnia ista loca Galilee de primo vsque ad vltimum inuenimus in possessione [15]) Sarracenorum pacifice et quiete. 7

De Nazareth venimus in *Castrum Zafetanum*, decem miliaria. Ibi natus est Iohannes euangelista et Iacobus, filii Zebedei. Ibi habitant Christiani. 8 9

Inde reuersi fuimus in Accon, ciuitatem Christianorum. 10 11

III. DE ACCON ET IUDEA ET TERRA PROMISSIONIS.

De Accon vero festinantes versus Iherusalem venimus ad torrentem *Cyson*, vbi occidit Helias per manus ministrorum octingentos et quinquaginta prophetas Baal et lucorum. Quem transeuntes venimus ad *Cayfan* [16]) ciuitatem, quatuor miliaria, iuxta mare. Et inde venimus ad pulcherrimum monticulum *Carmeli*, vbi Helias congregare fecit multitudinem Israel et conuicit sacerdotes Baal. Inde venimus ad *Castrum Peregrini* [17]), quod est nobile castrum templariorum iuxta mare. Inde viginti miliaria ad castrum *Cacho* [18]). Inde decem et octo miliaria ad *sanctum Georgium* [19]). Inde in *Benopolim* [20]), qui fuit viculus sacerdotum. Inde venimus in *Ramatha* in montem Effraym, qui est tria miliaria ab Iherusalem. Et visitauimus domum Samuelis. 1 2 3 4 5 6 7 8 9

13) Cod. G. deriuantes.

14) Fortasse supplendum est *lauauit filium*.

15) *possessionem* G.

16) *Cayfa*] nunc Haifa, olim Hepha.

17) *Castrum Peregrini*] nunc Athlit.

18) *Cacho*] nunc Kakun. Cf. Ritter XVI. 714.

19) *Sanctum Georgium*] Fortasse Ricoldus dicit Lyddam. Cf. Burchardum de Monte Sion V. 2, et quae ibi annotavimus.

20) *Benopolim*] Haud scio an non sit recens *Beit Nûba*, crucesignatorum *Bettenuble*. Cf. Ritter XVI. 543. 544.

IV. DE IHERUSALEM.

Inde venimus ad Iherusalem, ciuitatem sanctam, que eciam vere potest nominari ciuitas ruine et destructionis. In qua primo iuimus ad ecclesiam sepulchri Domini nostri Ihesu Christi, et non potuimus intrare nolentibus Sarracenis. Inde ascendimus ad montem Syon, ciuitatem, quam edificauit et expugnauit Dauid. Ibi inuenimus turrem Dauid, de maximis et quadratis saxis edificatam, eciam quod [21]) destruentes in destruendo defecerunt et aliquid ad memoriam reliquerunt. Postea inuenimus locum, vbi decollatus fuit sanctus Iacobus maior. Vbi nunc est ecclesia, et in ecclesia decollacionis est marmor, quod adhuc ostendit rubeum sanguinem cruentatum. Postea inuenimus locum, vbi fuit cenaculum illud grande stratum. Vbi fuit edificata maxima ecclesia, que ex vna parte continet cellam siue mansionem beate Marie virginis post ascensionem Filii. Ex alia parte in longum continet locum, vbi cenauit Christus cum discipulis suis, et alia, que fecit eodem sero. Et ibi est altare, vbi ordinauit sacramentum eucharistie. Et ibi eciam est locus, vbi discipuli erant congregati, quando factus est repente de celo sonus. Et in eodem loco subtus est mansio, vbi sero erant discipuli congregati propter metum Iudeorum, et locus, vbi stetit in medio eorum et dixit: „Pax vobiscum!“ Ibi est altare, ibique celebrauimus et predicauimus gementes et flentes et vehementer timentes occidi a Sarracenis. Ibi prope iuxta ecclesiam est columpna flagellacionis Christi, adhuc vestigio sanguinis Christi cruentata. Ibi iuxta est domus Anne, soceri Cayphe. Ibi prope est locus, vbi Petrus, postquam negauit Christum, egressus foras fleuit amare. Vbi in memoriam negociacionis vel amare fletus et penitencie Petri edificata est ecclesia. Ibi descendentes de monte Syon inuenimus locum fratrum predicatorum. Vbi adhuc manet ortus [22]). Est autem locus inter templum Salomonis et templum Domini. De templo Salomonis vidimus [23]), vnde precipitatus fuit Iacobus, frater Domini. Vbi est maximum precipicium super vallem Iosaphat. Quem locum repleuit Salomon cum edificauit [alias illo melle][24]).

Inde exeuntes ciuitatem intrauimus campum *Acheldemach*, qui vsque in hodiernum diem est sepulchrum peregrinorum. Ibi prope inuenimus cellam sancti Eunofrii et aliorum sanctorum patrum.

Inde descendentes ad vallem *Iosaphat* inuenimus ibi mirabile sepulchrum, quod edificasse dicitur Salomon vxori sue, filie Pharaonis, quam tantum dilexit, vt ei ascribantur Cantica Canticorum.

De valle Iosaphat descendimus in Iericho, viginti miliaria, per viam illam, per quam descendebat ille, qui descendebat ab Iherusalem in Iericho. Que vsque nunc deserta et dubia est et latronibus frequentata.

Descendentes autem viginti miliaria inuenimus munitum castellum, quod [25]) edificauit Ptolomeus, filius Abobi, vbi occidit Symonem, sacerdotem magnum, cum esset Hebreus cum filiis suis in conuiuio, quod eis fecerat. Et vsque modo est ibi turris, que dicitur vsque in hodiernum diem *turris rubea*.

Ibi descendimus quatuor miliaria in *Iericho*, que est quasi deserta.

21) *eciam quod*] ita ut et destruentes in destruendo deficerent et aliquid ad memoriam relinquerent.

22) *ortus*] i. e. hortns.

23) Vocabulum *locum* e coniectura addere non sumus ausi.

24) Absurda haec infra § 43 ad marginem ponenda esse videntur. Sunt enim nihil nisi scriptio alia, quamvis et ipsa absurda.

25) *castellum quod*] Cod. G. *cl'am quam*, i. e. clausulam quam, sed praecedit *munitum*, non munitam.

Inde festinantes quatuor miliaria in *Iordanem* inuenimus iuxta Iordanem locum, 32
vbi habitabat beatus Iohannes baptista. Vbi in memoriam suam est pulchrum monumen- 33
tum. Ibi in festo epiphanie invenimus Christianos ad baptismum, vltra decem milia, ex 34
omni populo et nacione. Ibi edificauimus altare iuxta flumen, vbi celebrauimus et pre- 35
dicauimus et baptizauimus gaudentes et flentes. Cum autem omnis populus baptizaretur 36
et clamaret „*Kyrieleison*“, tantus fuit fletus et vlulatus, quod putabamus angelos descen-
disse de celo et voce querula nobiscum clamantes [26]). Et tunc cantauimus euangelium 37
„Factum est autem, cum baptizaretur omnis populus.“

Inde a Iordane ascendimus ad *montem temptacionis* in deserto, vbi ductus est Ihe- 38
sus, et in loco [27]), vbi ieiunauit quadraginta diebus et quadraginta noctibus. Est eciam 39
ibi ecclesia et cella. Vbi celebrantes et predicantes multis Christianis, qui conuenerant, 40
et heremitis, qui morabantur ibidem, didicimus ab eis multa loca et mansiones Christi
per ordinem.

Inde duxerunt nos ad locum et ad montem multum altiorem et valde difficilem, 41
ad eundem, vbi diabolus assumpsit Ihesum et ostendit ei omnia regna mundi. Et vere 42
locus est aptus temptacioni et cupiditati, quia, cum in se sit desertus et nichil boni ha-
bens, tamen sub se in planicie pulcherrima quasi omnia sunt. Est enim dictus mons 43
super fluenta Iordanis et planiciem Iericho, que habet riuos, fontes et ortos magnos,
sicut paradisus, et campos canamelle [28]), vnde faciunt zucharum. Ibi palme et plantacio 44
rose in Iericho.

Inde vidimus loca *Zodome* et *Gomorre* et aliarum ciuitatum, et *mare mortuum*, quod 45
appellatur mare maledictum. Inde eciam vidimus *Ilkracco*, quod est *Petra deserti* [29]), ad 46
montem Filie Syon.

Vbi vero fuit temptacio, cantauimus et predicauimus euangelium. 47

Inde vero viginti miliaria ascendimus in Iherusalem per viam, per quam Christus 48
ascendit ad passionem vadens et veniens in *Bethaniam*. Et postea inuenimus in Betha- 49
nia domum Lazari et sepulchrum eius, vnde vocauit eum Dominus, et cantauimus euan-
gelium et predicauimus de Lazaro.

Vnde venimus vnum miliare in *Bethfage* iuxta montem oliueti, et inuenimus locum 50
ficulnee, que aruit ad preceptum Domini, et locum, vbi misit duos discipulos suos in
Iherusalem pro asina.

Inde venimus ad *montem oliueti*, et inuenimus locum in cacumine montis ipsius [30]) 51
et ascensionis Christi, et multa alia mirabilia, et ibi prope alium montem, quem appel-
lant *Galileam*. Et dicunt, quod ille est mons, de quo intelligitur euangelium, „*Vbi duo-* 52
decim discipuli abierunt in Galileam in montem“ [31]); non quod mons sit in Galilea, sed in
Iudea, sed quia mons ipse mons [32]) appellatur Galilea. Alii dicunt hoc fuisse montem 53
Thabor, qui est vere in Galilea.

Descendentes autem de monte oliueti venimus in locum, vbi Ihesus videns ciuita- 54
tem fleuit super illam. Et ibi accepimus ramos oliuarum, benedicentes et dantes omnibus. 55

26) *clamantes*] clamare.

27) *loco*] locum, nisi verba *mons tempt. in loco* coniungenda sunt.

28) Cod. G. *namelle*. Cf. notam 24.

29) *Petra*] Cod. habet *de petra deserti*. Nomen, quod praecedit, depravatum *Ildracco* e coniectura mutavimus.

30) *ipsius*] ipis habet G.

31) *montem*] Matth. 28, 16.

32) Fortasse *modo* legendum est.

56 Et descendimus per viam, per quam descendit Christus cum processione in die
57 oliuarum. Et venimus ad *portam auream*, per quam intrauit Dominus cum processione.
58 Que porta est ad pedes templi.

59 Deinde ascendentes in ciuitatem, vt iremus in Bethlehem, exiuimus extra in mon-
60 tem *Syon*. Et inuenimus extra ciuitatem fontem *Rogel*, ubi fuit ortus regius, vbi Ado-
nias, filius Agith, fecit conuiuium, cum vellet regnare.

61 Inde procedentes per viam, per quam venerunt magi versus Bethlehem, inueni-
62 mus locum, vbi stella apparuit eis. Et ibi est ecclesia in memoriam stelle.

63 64 Inde inuenimus ad quatuor miliaria martires, vbi transportauit eos leo. Et est
ibi monasterium pulchrum, vbi habitant monachi Sarracenorum.

65 Inde venimus in mediam viam inter Iherusalem et Bethlehem ad locum Helie,
vnum miliare.

66 67 Inde venimus duo miliaria ad *sepulchrum Rachelis* iuxta viam Effrate. Quod se-
pulchrum quam nobile, quam antiquum sit, ipsum opus testatur.

68 69 Inde venimus ad *campum cicerum*. Dicunt, quod, cum Christus transiret inde et
quereret a laboratore seminante cicera, dicens: „Quid seminas?“ ille respondit: „Semino
70 71 lapides.“ Christus dixit: „Et lapides recolliges.“ Extunc, vt dicitur, nichil ibi nascitur
nisi dicti lapilli.

V. DE BETHLEEM.

1 Inde venimus in *Bethleem*, ciuitatem paruulam, vbi natus est paruulus ille magnus.
2 Ibi inuenimus pulcherrimam ecclesiam domine nostre et in ecclesia diuersorium, quod
erat via stricta vbi ex parte vna erat presepe, vbi posuerunt Dominum, et ex alia
3 4 parte vie erat quasi quedam cripta et antrum pauperum. Et ibi habitabant stricte. Et
5 ibi est altare, vbi peperit domina nostra. Ibi predicantes et celebrantes et populum
communicantes post missarum solempnia inuenimus in presepio pulcherrimum infan-
6 tem, filium paupercule Christiane, que habitabat iuxta ecclesiam. Et in eo letantes
adorauimus Christum natum et ad modum magorum paruulo dantes munera reddidi-
mus matri.

7 Inde descendimus ad *locum pastorum*, qui erant in regione eadem in tercio milia-
8 rio a Bethleem. Ibi est in memoria[33]) pastorum | maxima ruina ecclesiarum, que fuerunt
9 ibi edificate. Ibi iuxta duo miliaria est *viculus* vel *casale prophetarum*, qui occurrerunt
Helie et Heliseo, et dixerunt: „*Hodie tolletur dominus tuus a te!*“[34])

10 Inde ascendentes per viam, que ducit in Bethleem, per viam, per quam venerunt
11 pastores et per quam ascendit Ioseph cum Maria vxore pregnante, inuenimus prope
Bethleem locum, vbi Maria et Ioseph quieuerunt fessi et sitibundi. Ibi ostenderunt no-
bis puteum, quem dicebant excreuisse vsque ad summum et dedisse potum virgini pre-
12 gnanti et suo sponso.

Inde reascendentes in Bethleem vsque ad locum natiuitatis inuenimus iuxta eccle-
siam domine nostre palacium, vbi beatus Ieronimus transtulit libros, et sedem, vbi sede-
13 bat, et locum dormicionis[35]) sancte Paule.

Inde redeuntes, vt iremus ad domum Zacharie, qui habitabat extra Iherusalem

33) *memoria*] memoriam.
34) Reg. II (IV). 2, 3.
35) *dormicionis*] obitus. Cf. Robinsoni Palaestina II. 380.

per tria miliaria, inuenimus primo locum, vbi Elizabeth occurrit Marie, et exultauit infans in vtero eius. Postea inuenimus locum Zacharie, et ibi prope ad terciam vnius miliaris domum Elizabeth. Et in medio currit riuulus a fonte pulcherrimo, vbi frequenter quiescebant et colloquebantur Elizabeth et Maria pregnantes. Ibi eciam inuenimus locum [36]) beati Iohannis baptiste.

Inde redeuntes versus Iherusalem inuenimus locum, vbi fuit incisa arbor magna, ex qua factum est lignum crucis.

Inde euntes Iherusalem per viam, vnde descendebat eunuchus Candaces [37]) regine, quem baptizauit Philippus, inuenimus viam, per quam ibat, in curru legens Ysaiam.

Venientes autem in Iherusalem, vt compleremus desiderium nostrum de visitacione sepulchri, iterum ascendimus in montem Syon, vbi cenauit Christus cum discipulis suis, et lauit pedes eorum.

Inde descendimus per viam, per quam descendit Christus post cenam, vt iret ad ortum, et venimus ad aquas Siloe, vbi secatus est Ysaias [38]). Ad quem locum misit Deus cecum natum.

Inde trans torrentem Cedron, qui est in valle Iosaphat et currit inter montem oliueti et Iherusalem.

Inde descendentes per vallem Iosaphat venimus ad locum, vbi erat ortus, in quem introiuit Ihesus. Et ibi inuenimus locum, vbi orauit Ihesus, et vbi captus fuit iuxta ortum. Et nunc dicitur *campus florum*.

Ibi iuxta est *sepulchrum virginis* in media valle Iosaphat.

Ibi vero in valle Iosaphat considerantes *locum iudicii* inter montem oliueti et Caluarie sedimus flentes et trementes, expectantes iudicium. Conferentes autem, vbi resideret in alto iustissimus iudex et vbi esset ad dexteram et ad sinistram, [et] elegimus [39]) extunc mansionem ad dexteram, et quilibet signauit ibi lapidem in testimonium. Ego autem erexi et signaui ibi lapidem in testimonium et accepi locum ad dexteram pro me et pro omnibus, qui a me verbum Dei audierant, qui perseuerarent in fide et veritate euangelii. Et sic signaui lapidem sub inuocacione multorum, qui presentes flebant.

Inde intrauimus in *sepulchrum* pulcherrimum *virginis*, quod Sarraceni cum multis luminaribus et magna reuerencia custodiunt. Et ibi cantantes et celebrantes et populum communicantes et predicantes quieuimus.

Inde exeuntes inuenimus iuxta dictum locum campum, vbi fuit lapidatus beatus Stephanus, et ascendentes per viam, per quam eiecerunt eum extra ciuitatem cum lapidibus, intrauimus in Iherusalem per portam sabbatorum, et inuenimus *ecclesiam sancte Anne*, matris Domine. Ibi ostenderunt locum, vbi affirmauerunt [40]) vere, quod fuit nata beata virgo. Et ibi iuxta sepulta est beata Anna, mater eius.

Ibi prope inuenimus probaticam piscinam.

Ascendentes autem inuenimus domum Herodis et prope domum Pilati, vbi vidi-

36) Cod. G. *inuenimus locum vbi locum beati I. b.*

37) Act. 8, 27.

38) *Ysaias*] Iesaiam prophetam Manasse regnante serra dissectum obiisse tradunt.

39) *eligimus* cod. G. Ceterum copula supervacanea est.

40) *affirmauerunt*] *affirmauit* G.

mus litostraton [41]) et locum, vbi fuit iudicatus Dominus, et locum, vbi stetit in platea populus ante palacium, cum exiuit ad eos Pilatus.

38 Ascendentes autem per viam, per quam ascendit Christus baiulans sibi crucem, inuenimus locum, vbi dixit: „*Filie Iherusalem, nolite flere super me!*“ [42])

39 Ibi ostendunt locum tramorticionis [43]) domine nostre, cum sequeretur filium por-
40 tantem crucem. Et ibi iuxta viam ostendunt domum in memorialem locum [44]). Ibi osten-
41 dunt locum, vbi substitit Christus cum cruce et fessus quieuit paululum. Inde per transuersum est via, que venit ad ciuitatem vbi occurrerunt Symoni cirenensi venienti de villa,
42 vt tolleret crucem Ihesu. Ibi iuxta est locus, qui fuit fratrum minorum.

43 Ascendentes autem per viam indirecte [45]), vbi ascendit Christus, inuenimus locum, vbi dicunt, quod Helena probauit et discreuit crucem Domini a crucibus latronum signo resurrectionis mortui.

VI. DE SEPULCHRO DOMINI.

1 2 Inde procedentes intrauimus ecclesiam seu locum sepulchri. Est autem ecclesia
3 maxima, que continet montem Caluarie. In loco, vbi crucifixus est Dominus, inuenimus
4 locum, vbi in saxo fixum fuit lignum crucis. Et ibi iuxta ymago est crucifixi, opere musaico, tenens faciem ad occidentem, sicut fuit crucifixus Dominus, et ad pedes saxi, vbi erat infixa crux, stacio beate Marie virginis et beati Iohannis euangeliste, qui sta-
5 bant iuxta crucem respicientes ad orientem et ad faciem Christi. Ibi est locus tante deuocionis, quod si quis non fleret compassione filii clamantis et morientis in cruce, flere
6 cogitur compassione matris flentis ad pedes crucis Christi morientis pro nobis. O anima mea, o anima peccatoris hominis, quomodo postea potuisti viuificare et gubernare corpus tante corrupcionis et tante contradictionis? quare non factus es michi dolor mortis, do-
7 lor compassionis? Si nunc fuissem deuotus, vt credebam, dolore vel gaudio mori potui
8 de contemplacione tanti desiderii. Circumspiciens autem sollicite, si vere viderem Dominum meum oculis corporeis, vidi locum crucifixionis et saxum conscissum [46]) a summo
9 vsque deorsum et partem columpne subtus, ad quam flagellatus est Dominus. Que su-
10 stentabat lapidem altaris deorsum prope stacionem, vbi mater et virgo plorabat. Ibi retro et iuxta eam erat locus et ostendebant lapidem, vbi deposuerunt corpus et li-
11 gauerunt linteis et condiderunt aromatibus, vt sepelirent. Inde volentes accedere ad sepulchrum et querere Dominum, quem non inueneramus in monte Caluarie; iam enim deposuerant eum, cum ego miser tarde perueni et dixi: „Eamus et queramus ad monumentum, vbi posuerunt eum!“ et congregans Christianos, qui tunc erant ibi vltra centum, ordinaui processionem, quam incepimus a columpna, quam dicunt esse in medio
12 mundi. Et ascendimus per viam, per quam venerunt Marie cum aromatibus, et nos plane procedentes per viam et conferentes ad inuicem: „Quis reuoluet nobis lapidem?“ postea cum appropinquauimus alta voce cantantes et repetentes victime pascali laudes etc., ad omnem passum vnum versum vnus precinebat et omnes respondebant; et circum-

41) *litostraton*] lithostrotum, λιθόστρωτον. Joh. 19, 13.

42) *super me*] Vid. Ev. Luc. 23, 28.

43) Vocabulum hoc mihi ignotum σπασμὸν significare videtur. Vid. Tobleri Ierusalem I. 450.

44) *in memorialem Christus*] Legendum fortasse est: *Et ibi iuxta viam ostendunt domum et memorialem locum, vbi substitit Christus.*

45) *indirecte*] in directe G.

46) *concissum* G.

dantes et circumeuntes sepulchrum cum querentes Dominum sollicite non inueniebamus Dominum, clamauit quispiam tam alta voce: „Surrexit Christus, spes mea! precedet suos in Galilea!“, quod extra totum templum rumor et tumultus insonuit inter Sarracenos. Intrantes autem in sepulchro inuenimus magnum illum lapidem ad hostium monumenti, sed reuolutum iuxta hostium[47]). Et exeuntes, cum non inuenerimus Dominum, ostenderunt nobis ortum et locum, vbi primo apparuit Magdalene, et inde viam non in orto, vbi apparuit aliis Mariis et vbi tenuerunt pedes eius. In eadem autem ecclesia est alia ecclesia subtus, quam fodit Helena, vbi inuenit cruces. Ad quam descendimus plus quam viginti passus. Et est tota fossio in lapide. In ipsa autem ecclesia sepulchri celebrantes et predicantes pluribus vicibus et populum communicantes quieuimus die et nocte.

Inde exeuntes et redeuntes de Iherusalem venimus recto cursu octo miliaria[48]) in *Emaus*. Et conferentes de Christo, vt ipse appropinquans iret nobiscum, per prata et loca pulcherrima appropinquantes castello venimus ad viam, in qua se finxit longius ire[49]), et postea in Emaus ad locum, vbi parauerunt cenam et cognouerunt etc.[50]) Ibi est ecclesia pulchra.

Inde redeuntes venimus iuxta *Ramam*, ciuitatem Ioseph, qui sepeliuit Christum. Et inde iuxta decem miliaria *Cesaream Philippi*[51]), que est super mare. Inde viginti miliaria ad *Cacho*[52]) castellum. Et inde appropinquantes *Castro Peregrini* decem et octo miliaria venimus ad *caueam virginis*. Est autem *cauea virginis* fouea iuxta mare in via, que venit ex Egipto in Iudeam vel Galileam. Voluit enim Ioseph declinare Iudeam et ire in Galileam, et cum esset iuxta in via, que venit de Cesarea Philippi, et quiesceret super lapidem, lapis quasi liquatus et per semet ipsum lectum et concauum se faciens occultauit puerum et Mariam et Ioseph, vt non viderent eos quidam insequentes et volentes eos ledere, vt dicunt.

Inde venimus in *Castrum Peregrini* et inde in *Accon*, centum miliaria.

VII. DE TRIPOLI.

De Accon vero transeuntes per mare iuxta Tirum et Sidon venimus in *Tripolim*, iuxta quod est fons ortorum et puteus aquarum viuencium. Inde vidimus montem Libani. Ibi sunt *Maronite*, qui dicunt in Christo esse vnam voluntatem, conueniunt tamen nobiscum in omnibus aliis magis quam alia secta orientalis. Ibi prope eos sunt *Assassini*, quos orientales *Ysmahelitas* natos de Ysmahele dicunt. Qui dum occidunt et occiduntur, putant, quod assumantur ad quasdam delectaciones, in quibus credunt esse vitam eternam. Isti quantum ad legem sunt Sarraceni.

De Tripoli vero per mare transeuntes venimus prope *Tortosam*[53]). Et inde ostenderunt nobis planiciem inter montem Libani et montem nigrum, vbi Noe fabricauit archam.

Et postea intrauimus *Armeniam* apud *Laiacium*[54]). Et iuimus ducenta miliaria in *Armestriam*[55]), vbi fuit episcopus Theodorus, maximus hereticus, qui totum euangelium

47) *hostium*] ostium.

48) *miliare* G.

49) Vid. Luc. XXIV. 28.

50) Vid. Luc. XXIV. 31.

51) *Cesarea Philippi*] Est potius *Caesarea Palestina*, et errat aut librarius, aut Richoldus.

52) *Cacho*] Cf. supra cap. III § 5. Liber ms. habet *Cato*.

53) *Tortosa*] nunc Tartûs, olim Antaradus.

54) *Laiacium*] Laodiceam ad mare, recentem Latakia. Itaque fortasse scribendum: *Latacium*.

55) *Armestriam*] Dicitur Mopsvestia, caput

sua exposicione fedauit. Dixit virginem non peperisse Deum, sed hominem iustum et templum Dei [56]). Huiusmodi virulentos libros inuenimus in omnes partes orientales [57]) aput Nestorinos; nam Nestorius fuit eius complex.

Deinde transiuimus viginti miliaria iuxta *Tharsim* Cilicie, vnde fuit beatus Paulus apostolus.

VIII. DE THURCHIA ET TURCHIMANNIA.

Armeniam autem transeuntes intrauimus in Thurchiam, et inuenimus Thurchimannos, homines bestiales, qui sunt Sarraceni et habitant communiter sub terra ad modum talparum. Isti egrediuntur de cauernis terre quasi mures, et subito faciunt exercitum. Et sunt homines feroces et fortes, et maxime mulieres eorum. Et vt de ceteris sileam, hoc vnum referam. Nam cum iremus cum camelis, mulier thurchimanna pregnans pedes sequebatur camelos; et de nocte, cum essemus in deserto, peperit in silencio. Mane autem facto, admirantes inuenerunt infantulum vagientem, quem accipiens mater pedes sequebatur camelos, vt prius.

Predicti autem Thurchimanni insidiantur maxime Grecis, qui habitant iuxta mare magnum, quia Greci occiderunt ex Francis maximam multitudinem, quia in quodam passagio, quod faciebant Franci contra Sarracenos, miscuerunt calcem farine; Franci vero secure ab eis tamquam a Christianis accipientes et comedentes multi ex eo mortui sunt [58]). Inuenimus autem firmiter per fide dignos, quod Greci illi ita timent Thurchimannos, quod non audent exire de ciuitatibus nec de castris eorum [59]), nisi portent secum capistrum paratum, quo ligentur. Dicunt enim, quod Thurchimannus statim eum occidit, nisi inueniat ei capistrum paratum. Et ideo quando exeunt ad seminandum vel ad siluam vel ad huiusmodi opus, vnusquisque portat suum capistrum, quo ligetur. Et sic vere completur in eis illud Salomonis [60]): „*Iniquitates sue capiunt impium, et funibus peccatorum suorum vnusquisque constringitur.*“

IX. DE TARTARIS.

Intrantes autem infra Thurchiam inuenimus horribilem et monstruosam gentem Tartarorum. Differunt autem Tartari multum ab omnibus aliis nacionibus mundi in persona, moribus et ritu. In persona autem, quia habent magnas et latas facies et oculos paruos, quasi fissuras [61]) quasdam per transuersum in media facie, et paruam barbam, ita quod multi eorum similes sunt simie [62]), et maxime senes. In omnibus autem sunt dissimiles ab aliis, quia nec curialitatem habent, nec verecundiam, nec gratitudinem, nec amorem ad aliquem locum [63]), vt alie naciones, sed videntur odire [64]) omnem ciuitatem et omne edificium habitacionis. Nam quasi omnes ciuitates et castra et habitaciones et edificia destruunt, et illum magis ledunt, qui se magis illis humiliat; omnem autem reuerenciam sibi factam et omne obsequium non gratum sibi reputant, sed debitum. Dicunt

Armeniae, quod regnum continuit partem Ciliciae et Cappadociae. Mopsvestia in medio aevo Mamistram dictam esse constat.

56) *Dei*] De Theodoro Mopsvestino vid. Neandri hist. eccl. t. II P. III p. 944.

57) *in omnes partes orientales*] in omnibus partibus orientalibus.

58) *sunt*] Notum est, hoc Conradi III. Imp. exercitui anno 1147 accidisse.

59) *eorum*] suis.

60) Proverb. V. 22.

61) *fixuras* G.

62) *symee* G.

63) *amorem — locum*] alicuius loci.

64) *odire*] odisse.

enim se[65]) esse veros dominos mundi. Dicunt, quod Deus fecit mundum solum propter 7
eos, vt ipsi dominentur et gaudeant. Dicunt enim, quod aues celi nunciant hominibus, 8
quod ipsi sunt domini mundi, et quod totus mundus debet eis dare tributum et dare
encenia. Dicunt enim, quod aues celi et bestie deserti comedunt et bibunt de gracia 9
imperatoris. Cum quidam Francus veniret ad vnum magnum imperatorem et principem 10
Tartarorum, dixit ei princeps: „Quid michi portasti?“ Dicit ei: „Nichil portaui, quia 11
nesciebam potenciam tuam.“ Dixit ei princeps: „Sed et aues celi non dixerunt tibi, 12
quando intrasti prouinciam?“ Et respondit: „Potest esse, quod dixerunt, sed non intel- 13
lexi linguam.“ Et tunc placatus pepercit ei. 14

In ritu enim differunt ab aliis nacionibus, quia uon menciuntur se habere legem 15
a Deo[66]), vt multe alie naciones. Credunt autem deum quandam legem nature. In- 16 17
stinctu enim quodam naturali viuunt, vt bestie et aues, mutantes in estate et hyeme.
Timent enim multum calorem et frigus. In Thurchia et Gasaria ibi est magnum frigus. 18 19
Quando nimis intensatur frigus, conqueruntur contra homines Sarracenos vel Christia-
nos, et dicunt: „Aliqui homines pro certo fecerunt venire frigus magnum!“ Et tunc 20
discurrunt per ciuitatem, et cum inueniunt hominem pelliciatum et foderatum et multum
munitum contra frigus, comprehendunt eum et spoliant, et accipiunt omnia que habet in-
duta ab eo, dicentes: „Tu fecisti venire frigus, prouocando eum cum multis pelliciis et
pannis superfluis.“

Item quedam peccata reputant et quedam nichil reputant. Nam ebrietatem et vo- 21 22
mitum ex ebrietate reputant honorem et dicunt honorem, et dicunt, quod est de gracia
imperatoris Chan[67]); furtum vero et rapinam reputant quandam bonam astuciam. Men- 23
dacium multum odiunt et veritatem amant.

Summe diligunt honorem, et ipsi minime volunt aliquem honorare nisi suos domi- 24
nos. Cum scribunt suis maioribus, tantam reuerenciam habent et seruant, quod non 25
scribant nomen sui maioris in suo loco, sed dimittunt spacium vacuum et postea scri-
bunt nomen de foris in margine in alio loco. Quando eorum dominus descendit de 26
equo, quocumque casu descendat, omnes descendunt. Si enim contingat in bello, quod 27
dominus cadat de equo, eciam coram hostibus, omnes descendunt. Sed et tantam obe- 28
dienciam obseruant ad eorum dominum, quod, quando contingit, quod aliquis condempna-
tur ad mortem, dominus dicit: „Incidatis talem et faciatis dormire eum.“ (Nam mortem
non mortem, sed dormicionem appellant.) Tunc veniunt ad illum, qui est occidendus, 29
et dicunt: „Dominus mandat, quod incidamus te et faciamus te dormire.“ Tunc re- 30
spondet ille, dicens: „Dicit ipse et mandat.“ Et statim audito parat brachia sua ad 31 32
ligandum eum. Dicit ergo: „Ligetis me.“

Verberare vel verberari pro nichilo reputant. Nam cum Tartarus aliquem ver- 33
berat multis verberibus vsque ad mortem, reputant sibi sacrificium. Optime sibi porri- 34
git eum potum[68]), et cum ipse dure verberatur, valde facile reconciliatur vnio.

Homicidium valde graue reputant, et valde cauent, ne occidant sine maxima causa. 35
Vnus Chan occidit alterum, vt ipse dominetur, tamen valde obseruat, ne effundat eius 36
sanguinem. Dicunt enim, quod nullo modo est conueniens, quod sanguis Magni Chan 37

65) *se enim* G.

66) *adeo* cod. G.

67) *Chan* h. l. et § 36 legitur; in capitibus proxime sequentibus passim *caam* scriptum invenimus.

68) *optime — potum*] Locus obscurus.

38 fundatur in terra [69]), sed quocumque modo potest eum suffocare procurat. Mortuo eciam Magno Chan alius, qui surgit loco ipsius, siue sit filius eius, siue alius, accipit omnes vxores eius, et fiunt eius vxores et mulieres; ymmo non reputatur Chan, nisi habeat vxores alterius Chan, et mulieres sistunt et confirmant Magnum Chan.

39 Mulieres Tartarorum sunt apud eos in magno honore, et portant coronas maximas super omnes alias mulieres, et hoc in memoriam triumphi, quem habuerunt apud
40 quendam magnum fluuium orientis. Nam cum Tartari essent ex vna parte fluuii et aduersarii eorum forciores ex alia, et Tartari non auderent ad eos transire, Tartari dimiserunt mulieres eorum in campo, et ipse occulte de nocte longe equitauerunt, et venientes ex aduerso contra hostes, et dicentes, quod venirent ad auxiliandum Tartaris, hostes
41 Tartarorum audito, quod tantus exercitus veniebat contra eos, territi fugerunt. Nam mulieres Tartarorum parate erant ad bellum quasi milites, et cum viderent, quod hostes
42 pararent se ad fugam, aggresse sunt eos et habuerunt de eis plenam victoriam. Ipse
43 enim cedebant [70]) ex vna parte, et mariti earum ex altera. In memoriam itaque huius victorie Tartari concesserunt eis maximas coronas ad longitudinem vnius cubiti et am-
44 plius. Tartari tamen, ne mulieres eorum nimium superbirent, voluerunt, quod ipsa corona desuper haberet formam pedis, et in corona magna superiori parte est quidam [71]) pes super coronam, quasi contestans, quod ipse sole non habuerunt victoriam, sed propter viros, qui veniebant eis auxilium, et quasi dicatur eis: „Licet sitis coronate, sciatis vos
45 tamen esse sub potestate virorum.“ Et sic quodam iudicio naturali videntur sompniasse quod scriptum est in lege diuina [72]): „*Sub viri potestate eris.*“

46 Tartari eciam quando accipiunt vxores, emunt eas a suis parentibus quasi sclauam quandam, et quando tradunt eam [73]) ad nupcias, parentes et consanguinei viri, qui eam accipit, ducunt eam cum tympanis et cantu, sed parentes et consanguinei mulieris se-
47 quuntur eam cum planctu quasi mortuam. Mortuo autem viro eius non habet amplius potestatem reuertendi ad domum parentum, sed consanguinei mariti defuncti maritant
48 eam, vt volunt, vel manet perpetuo in domo viri vt sclaua. Et licet Tartari accipiant plures vxores simul, tamen prima est maior et reputatur legittima, et filii eius reputan-
49 tur legittimi, alie vero sunt quasi concubine. Sed et Tartari multum honorant mulieres omnes de mundo, et maxime suas, et ipse sunt, que gubernant regnum vel domum, et
50 emunt et vendunt, et sunt feroces et bellicose. Equitant autem vt viri, et frequenter vidi
51 eas intrantes ciuitates cum arcu et sagittis accinctas vt viros. Sunt autem fidelissime
52 suis viris. Cum exercitus Abaga [74]) terga verteret Sarracenis in Syria, deprehensus est
53 magnus baro Tartarorum, qui sedicionem fuerat machinatus. Cum autem Imperator Chan comprehensum vellet eum occidere, obstiterunt domine et mulieres Tartarorum,
54 petentes eum sibi dari. Quo accepto coxerunt eum viuum, et dederunt eum comedere incisum [75]) per partes minimas toti exercitui in exemplum aliorum.

X. DE ERRORE TARTARORUM.

1 Tartari enim credunt et expectant quandam resurrectionem fatuam ad istam ean-
2 dem vitam, et ideo suis mortuis prouident vnusquisque secundum facultatem suam. Nam

69) *terra*] terram.
70) *cedebant*] i. e. caedebant.
71) Cod. G. habet *quoddam*.
72) Genes. II. 16.
73) *eas* cod. G.
74) Hoc loco in margine leguntur haec: *Nota de Abaga rege, filio Halaonis.*
75) inscisum. G.

pauperes coquunt multas carnes et sepeliunt cum mortuo, circumdantes eum vndique carnibus coctis et eciam vestibus nouis preter vestes, quibus induitur mortuus. Et eciam dant ei aliquam pecuniam. Diuites vero carnibus et pecunie addunt eciam mutatorias vestes, et ponunt sub capite mortui vel mortue vestem speciosam et preciosam inuolutam, et dicunt ei: „Si veniret aliquis, et vellet tibi auferre de dorso, non permittas, sed da ei istam, que est sub capite. Et si aliquis tibi faceret questionem de Deo, obserua bene, quod nichil respondeas, sed dicas solum: „Scio, quod Deus est Deus.“ Et ita sepeliunt eum. Magni eciam barones omnibus hiis addunt equum bonum. Nam armiger eius ascendit equum, cum ipsi parant se ad sepeliendum mortuum, et fatigat equum currendo et reuoluendo vsque ad lassitudinem, et postea lauit equo caput cum vino puro et forti, et equus cadit, et ipse exenterat eum et euacuat omnia de ventre equi, et implet herba viridi, et postea infigit palum magnum per posteriora, et facit palum exire vsque ad os, et ita dimittit equum impalatum [76]), et suspendit eum et mandat ei, quod sit paratus, quandocumque wlt dominus surgere, et tunc cooperiunt mortuum in sepultura. Cum vero moritur imperator, adduntur predictis omnes lapides preciosi et eciam magni thesauri. Et consueuerunt eciam sepelire cum domino mortuo vsque viginti seruos viuos, vt essent parati seruire domino, cum voluerit surgere, sed postquam conuersati sunt cum Christianis, Christiani hoc facinus horrentes reprehenderunt, dicentes: „Non est licitum, vt viuus sepeliatur cum mortuo.“ Vnde dimiserunt de seruis solum. Ipsi vero Tartari multum murmurant contra Christianos, et dicunt eos esse homines crudeles et auaros, quia suis mortuis non prouident in expensis, nec in cibo et vestibus. Nam, vt dictum est, Tartari expectant quandam resurrectionem fatuam ad istam et eandem vitam corruptibilem, et quando possunt suos mortuos sepelire apud ecclesias et in cimiteriis Christianorum, multo precio emunt sepulturam ab episcopis. Posicio [77]) autem Tartarorum de resurrectione valde similis et propinqua est errori Sarracenorum et Iudeorum, quam [78]) expectant, de qua infra dicetur, cum agetur de Sarracenis. Et sciendum, quod Tartari quosdam homines super omnes de mundo honorant: *boxitas* [79]), scilicet quosdam pontifices ydolorum. Et sunt indiani homines, valde sapientes et bene ordinati et valde graues in moribus. Hii communiter sciunt artes magicas, et innituntur consilio et auxilio demonum, et ostendunt multa prestigia, et predicunt quedam futura. Nam et vnus maior inter eos dicebatur volare, sed secundum veritatem repertum est, quod non volauit, sed ambulabat iuxta terram et eam non tangebat, et quando videbatur sedere, nulla re solida sustentabatur. Aliqui eorum dicunt esse trecentos sexaginta quinque deos. Aliqui dicunt esse centum cumanos deorum. Est autem cumanus decem milia. Omnes tamen concordant, quod deus principalis est vnus. Ipsi dicunt se esse fratres Christianorum, et dicunt de eodem ritu et secta nobiscum, et Christum nesciunt. Dicunt enim, quod diluuium Noe non fuit in prouincia eorum, et quod mundus iam durauit plus quam triginta mille annis. Nam dicunt, quod semper signant in lapide nouum ydolum post mille annos, et post decem mille. Ipsi sunt nigri et adusti, sed regio eorum temperatissima est. Ipsi eciam Tartari dicunt se esse populum Dei, et ad hoc allegant multa miracula, que contigerunt in aduentu eorum, et victorias, quas habuerunt. Et dicunt, quod Deus

76) *impalatum*] palo transfixum.

77) *posicio*] thesis. Lib. ms. habet *posito*.

78) *quam*] resurrectionem; est constructio ad sensum.

79) *boxitas*] Infra *baxite* dicuntur. Fortasse hoc vocabulum cohaeret cum russico *Bog*, Deus.

vocauit eos de montibus et locis desertis, et misit pro eis nuncios suos bestiam et auem
28 deserti, scilicet leporem et bubonem. Et non est dubium, quin quedam miracula contigerunt in aduentu eorum, sed non sunt propterea populus Dei, quia miraculose conclusit
29 montes caspios, vt legitur in historia scolastica. Nec Nabuchodonosor fuit simpliciter seruus Dei, quia propheta [80]) appellat eum seruum Dei, dicens: „*Seruus meus Nabuchodonosor*“, sed Deo seruiuit humiliando et puniendo ceruicosum et superbum populum
30 Iudeorum. Sic et Deus in fine mundi creditur vocasse populum bestialem et sine Deo, vt partes et homines [in] orientales, qui facti erant bestiales et legem dimiserant, puniret
31 et desertam terram faceret. Et est memoria et gratitudine dignum omni populo Christiano, quod eodem tempore, quo misit Deus Tartaros ad partes orientales, vt occiderent et occiderentur, misit Deus ad occidentales seruos suos fidelissimos, beatos Dominico et Franciscum, vt illuminarent, instruerent et edificarent. Et sicut illi profuerunt
32 edificando, ita illi inualuerunt destruendo. Nam tantam cedem, destructionem et ruinam
33 fecerunt in partibus orientis, quod nullus sufficeret credere, qui non vidisset. Et ideo,
34 dicendum [81]) est aliquid sub breuitate de eis, que fecerunt et que eis contigerunt admiracione digna.

35 Primo enim admiracione dignum videtur, quis iste populus ita infinitus numero et multitudine, de quo nichil aperte in libris diuinis vel antiquis historiis inuenitur, et
36 quomodo potuit esse occultus tantus populus. Et opinantur plures, quod ipsi fuerunt
37 decem tribus Israhel, que captiuate fuerant. Nam Teglatfalassar [82]), rex Assur, primo captiuauit septem tribus, et posuit eos iuxta flumen Gozan [83]) vltra montes Medorum,
38 quos multi dicunt esse montes caspios. Hii quoque toto tempore, quo durauit monarchia Caldeorum et Assiriorum et Medorum et Persarum, non potuerunt exire, prohi-
39 bente [84]) edicto publico. Cum vero translata est monarchia ad Grecos per Alexandrum,
40 ipse Alexander miraculose conclusit montes, vt nullo modo possent exire. Dicit autem Iosephus [85]) et Methodius [86]), quod exibunt circa finem mundi et magnam stragem homi-
41 num facient. Et ideo multi credunt esse predones ipsos Tartaros, qui subito apparuerunt et exiuerunt de montibus circa finem mundi, et in partibus orientalibus ceperunt
42 mundum destruere. Ad hoc [87]) duo argumenta faciunt. Nam Alexandrum summe odiunt
43 et nomen [88]) eius non possunt pacifice audire. Secundo quia litera eorum valde similis est Caldee [89]), vnde primo exiuerunt Iudei, et est caldea lingua et litera valde consimi-
45 lis et affinis Iudee [90]). Contra hoc facit validum argumentum, quia de lege vel de Moyse vel de exitu de Egipto vel de sacerdotio [91]) nullam noticiam videntur habere; et eciam quia et effigiem distantem et diuersam videntur habere et mores a Iudeis et a ceteris
46 nacionibus mundi. Ipsi vero dicunt se descendisse de Gog et Magog. Vnde ipsi dicun-
47
48 tur Mogoli [92]), quasi corrupto vocabulo Magogoli. Methodius autem dicit, quod Alexan-

80) Ierem. 25, 9. 27, 6.

81) *dicendum* e coniectura supplevimus.

82) Tiglath Pileser.

83) Gozan, hebr. גּוֹזָן (IV) 2 Reg. 17, 6. 18, 11. 19, 12. Ies. 37, 12.

84) Cod. G. *prohibentes*, quod correximus.

85) *Iosephus*] Antiq. XI. 5. 2, nisi alius scriptoris locus dicitur.

86) *Methodius*] V. Methodii Revelationes p. 729 in Maxima bibliotheca Patrum Lugd. 1677 T. III.

87) Cod. G. *adhuc*.

88) Cod. G. *et non n. e. non p.*

89) *Caldee*] caldaicae.

90) *indee* G. Ceterum *Iudee* significat iudaïcae.

91) *sacerdotis* G.

92) megoli G.

der conclusit cum filiis captiuatis Iudeorum Gog et Magog, gentem spurcissimam, et multos alios, et quod exituri sunt in nouissimis temporibus, et facient maximam stragem hominum. Solucionem relinquo.

XI. DE EXITU TARTARORUM.

Exierunt vero ita Tartari. Cum vero vltra montes illos habitarent, de quibus 1
videtur dicere Boecius [92]), quod ad eos nec fama Romanorum veniebat, cum essent in 2
locis quasi [94]) bestie, erant pastores et intendebant venacioni. Ipsi autem montes, qui 3
diuidebant eos inter desertum et prouinciam habitabilem, erant inaccessibiles, nisi per
quendam locum, vbi erat fortilicium maximum, et nullus in eo. Cum autem ibi aliquis 4
appropinquaret, tantus audiebatur tumultus quasi equorum et hominum et maxime strepitus tubarum, quod omnis audiens territus fugiebat. Hoc autem erant artificio venti. 5
Quidam autem ex Tartaris, intendens venacioni, secutus est canes persequentes leporem. 6
Lepus vero directe fugit ad fortilicium [95]), et intrauit, fugiens canes. Venator autem 7
auiditate prede et venacionis non aduertit tumultum, et cum valde propinquus timeret
intrare, venit bubo et stans supra portam cepit cantare. Tunc Tartarus dixit intra se: 8
„Non est habitacio hominum, vbi lepus fugit et bubo cantat.“ Et sic fiducialiter intrans 9
neminem inuenit. Et locum lustrans et fictionem tumultus inueniens rediit ad suos et 10
peciit fieri princeps, si illos cum omni securitate transduceret. Et sic transierunt. Re- 11
ferens autem, quomodo intrauerat sequens leporem et indicium [96]) bubonis, ordinauerunt
Tartari, quod, licet necessitate coactus [97]) fugeret canes, tamen quia quasi quodammodo
indicauit viam, dignus erat honore, et ideo honorant leporem et depingunt eum in suis
armis et tentoriis; bubonem vero, quia nulla necessitate coactus apparuit et supra portam sedens cantauit, dicunt fuisse angelum Dei, et Deus vocauit eos, vt venirent. Et 12
ideo bubonem dixerunt non mediocriter esse honorandum, vt leporem. Ordinauerunt 13
ergo, quod honorabiles et maiores Tartarorum deferrent plumam et quasi coronam de
pelle bubonis supra capillum. Vnde ita occiderunt omnes bubones, quod vix inuenitur 14
aliquis in partibus orientis. Sed et mercatores de partibus occidentis occidunt bubones 15
et portant eis [98]) pelles. Venditur enim vna bona pellis vsque ad viginti libras. Et sic 16
Tartari reddiderunt amico suo buboni mala pro bonis, quia, dum dicunt eum honorare, 17
eum decoriant et occidunt, et faciunt eis [99]) coronam de pelle amici, in hoc conuenientes cum Tartaris infernalibus, scilicet demonibus, quia coronam sibi faciunt de animabus peccatorum, qui eis seruiunt, semper malum pro bono amicis reddentes.

XII. DE PROGRESSU TARTARORUM.

Exeuntes autem Tartari de montibus statim fecerunt consilium, quomodo possent 1
sibi subiugare totum orbem. Et dixit Magnus Chan, cuius nomen Camiustan [100]): „Duo- 2

93) *Boecius*] Boethii consolationis philosophiae libros V ed. Callyus. Ubi p. 157 l. 14 legitur: *Nondum Caucasum montem Romanae reip. fama transcenderat.*

94) Cod. G. habet *quam:* absurdum, nisi quaedam excidisse sumamus.

95) *fortilicium*] fortalitium.

96) Cod. G. *iudicio*, quod correximus.

97) *coctus* G.

98) *eis*] sibi.

99) *eis*] sibi.

100) *Camiustan*] Fortasse legendum est *Tamiustan*, quod propius accedit ad formam nominis *Temudschin*. Dicitur enim h. l. Temudschin, qui est Dschingischan. Vid. *Deguignes* Geschichte der Hunnen — übersetzt von Dähnert Partis III p. 13 sqq.

bus solum indigetis, scilicet obediencia ad principem et concordia ad inuicem.“ Et tunc fecit portari coram omnibus centum sagittas bene ligatas ad inuicem in fascem, et fecit dari forti homini, et mandauit, quod frangeret fascem. Et non potuit. Et fecit dari alteri, qui nec frangere potuit; et adhuc alteri, qui nec frangere potuit. Et ita probauit centum homines, et nullus potuit frangere. Et tunc fecit solui fascem et dari precepit cuilibet vnam sagittam. Et eius mandato quilibet fregit suam. Tunc dixit: „Videtis, quamdiu fuerunt sagitte simul, centum homines non potuerunt frangere vnam; quando vero fuerunt separate, nec vna quidem remansit. Sic et vos nullus poterit superare concordes, discordes vero et diuisos franget et superabit faciliter.“ Tunc Tartari fecerunt tres turmas. Vna turma cum Magno Chan occupauit Cathaiam [101]), prouinciam latissimam vsque ad vltimam Indiam, et occiderunt ibi prester [102]) Iohannem, et occupauerunt eius imperium, et filius Magni Chan [103]) accepit [104]) filiam prester Iohannis in vxorem, et iuit Thancarum [105]), et destruxerunt et exterminauerunt in partibus illis circa duodecim magna regna. Alia turma transiuit Gyon siue Phison, fluuium paradisi, et destruxit Corazmium [106]), Medos et Persas et Baldacum [107]), sedem Sarracenorum, et occiderunt Califam, et occupauerunt Thurchiam et occiderunt Corazmianos omnes, et occupauerunt et exterminauerunt Syriam vsque Gazam, et ceperunt Iherusalem, et dederunt eam Christianis, et occupauerunt a mari Indie vsque ad mare mediterraneum vsque Gazam. Ibi prohibuit eis arena, ne possent transire in Egiptum. Omnes istas prouincias depopulabantur homines inermes cum baculis et pelliceis. Aliqui tantum eorum habebant arcus. Sed et equos paruos equitant quasi capras. Ex hiis tantus [108]) horror inuasit omnes prouincias orientales, quod in pluribus ciuitatibus ex solo timore nominis mulieres pregnantes fecerunt abortiuum. Quis enarrare potest, quantas cedes fecerunt! Nam nulli parcebant, nisi solum Christianis.

XIII. DE BALDACO.

Venientes autem ad quandam ciuitatem prope Baldac, vbi erat maxima multitudo Christianorum et multi Sarraceni, mandauit Chan, quod nullus intraret domos Christianorum, sed solos Sarracenos interficerent. Christiani vero receperunt quasi omnes Sarracenos in domibus eorum. Quo comperto mandauit Chan, quod tam Christiani quam Sarraceni interficerentur. Venientes autem Baldacum inuenerunt Califam residentem in mirabili palacio, vbi congregauerat infinitos thesauros [109]). Qui Deo ipsum excecante nullo modo poterat credere referentibus, quod Tartari intrassent. Comprehendentes autem eum fecerunt cum eo durissimum, sed iustum iudicium. Nam cum per tres dies nichil ei darent ad comedendum, et ipse tamen peteret comedere, posuerunt coram eo aurum et argentum et lapides preciosos, vt comederet [110]). Dixerunt: „Ex quo non

101) *Cathaia*] Dicuntur Karakitaiani, devicti anno 1217.

102) *prester*] presbyterum, Gallorum *prestre*, *prêtre*. Ceterum prester Iohannes est Onk-khan, princeps Keraitarum. Vid. Deguignes III. 16 sqq.

103) *Filius Magni Chan* est Tuschi, Temudschini filius natu maximus. Vid. Deguignes III. 19.

104) *accipit* G.

105) *Thancarum*] Fortasse dicitur Tayang-khan, de quo vid. Deguignes III. 42 sq.

106) *Corazmium*] Chowaresm. Vid. Deguignes III. 47 sqq.

107) *Baldacum*] Bagdad.

108) Vocab. *tantus* e coniectura inserendum duximus.

109) *adeo* G.

110) Vocabula *sed panem* bis habet G., semel ante vocab. *dixerunt* et iterum suo loco.

comedis aurum, sed panem, sicut ceteri homines, quare tantum congregasti, quod toti mundo sufficeret?“ Et dixit: „Ego ista non congregaui, sed solum conseruaui. Nam sic congregata inueni ab antecessoribus meis.“ Et dixerunt: „Quare non dispersisti aurum, quando indigebas, et conseruasses te et populum tuum? nam pro quarta parte istius auri potuisses nos habuisse placatos.“ Quo tacente mandauerunt, quod liquaretur aurum et colaretur [111]) in os eius, et dixerunt ei: „Aurum sitiisti [112]), aurum bibe!“ Populum autem eius per quadraginta dies continuos occiderunt. Venientes autem ad ciuitatem quandam fortissimam [113]) atque inexpugnabilem nomine *Merdinum* [114]), et cum nullo pacto possent eam capere, nec ciues vellent eis acquiescere, percussit Deus vlcere pessimo populum ciuitatis; nam intumescebant horribiliter et subito moriebantur. Cum autem nec sic vellet rex ciuitatis Tartaris acquiescere, filius regis ciuitatis precidit caput patris sui et manus, et posuit in magna caffaria [115]), et exiens de ciuitate portauit encenium principi Tartarorum. Hoc autem encenium ita [116]) acceptauit gens crudelissima, quod statim recesserunt de obsidione et confirmauerunt in regem perpetuum patricidam cum tota sua [117]) posteritate et successoribus, et dederunt eis maxima priuilegia. Ac postea non fuit fortilicium, quod non se eis subiceret. Occiderunt autem Sarracenos sine numero, maxime viros bellicosos; paruulos autem et mulieres subiecerunt sibi sclauos. Audientes vero ab eis, quod erant populus Dei, et quod ipsi soli saluabantur per alcoranum [118]) et preces Machometi, quesierunt de lege eorum, et cum inuenissent legem largissimam, que quasi nullam difficultatem tenet nec in credulitate, nec in operacione, acceperunt legem, et facti sunt Sarraceni, maxime quia ipsi Tartari nec legem nec prophetam habebant. Vnde modo pro magna parte Tartari facti sunt Sarraceni. Nam et Sarraceni eos emunt et dant eis maxima dona, vt ipsi efficiantur Sarraceni. Ipsi vero sic facti Sarraceni defendunt Sarracenos et persequuntur Christianos. Plures autem ex Tartaris diligunt Christianos et efficerentur Christiani, nisi esset, quod Christiani nolunt eis dare encenia, vt Sarraceni, et eciam quia videtur eis, quod lex Christianorum sit valde difficilis. Primus autem Chan et Imperator Tartarorum sine fide in Baldaco [119]) fuit *Halaon*, amicus Christianorum et homo iustissimus sine fide et lege. Cui successit filius eius *Haalaga* [120]), minus iustus. Cui successit filius eius, *Argon* [121]), homo pessimus in omni scelere, amicus tamen Christianorum. Cum autem predictus Argon multum sanguinem effudisset et multos innocentes paruulos et mulieres peremisset, infirmatus est grauiter. Et apparuit in sompno ei quedam domina reuerenda et terribilis, et fremens

9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20 21 22 23 24 25 26

111) *colaretur*] infunderetur.

112) *sitisti* G.

113) Cod. G. habet: *fort. nom. Merd. atque*, inverso verborum ordine.

114) *Merdinum*] nunc Mardin, urbs Mesopotamiae.

115) *caffaria*] sacco, quo sensu rusticis Dombensibus vocabulum *cafferm* usitatum esse dicitur. V. Ducang. s. v. caffa, cui vocabulum ipsum *caffaria* ignotum fuisse suspicamur.

116) *ita* e coniectura posuimus.

117) *sua*] eius.

118) *alcorani* G.

119) *Tartarorum sine fide in Baldaco*] Cod. G. habet: *Tart. in fide et Bald.* Quae e coniectura correximus. Cf. *Deguignes* Geschichte der ‚Hunnen u. Türken, der Mogols und anderer occidentalischen Tartarn, übersetzt von Joh. Carl Dähnert. Genealogisch-Chronolog. Einleitung. Greifswald, 1770. Pag. 341. De Haalone, quem Deguignes Hulagu appellat, vide Deguignes Parte III pag. 265 sqq.

120) *Haalaga*] Hulagu-Khan. V. Deguignes p. 341. Sed cf. Deguignes III. 278.

121) *Argon*] Argun-Khan obiit anno 1291. Vid. Deguignes Einleitung. Pag. 341 et T. III 286 s.

in eum cepit ipsum per pectus dicens: „Veni, vt respondeas Domino de sanguine, quem fudisti!“ Ille autem dixit: „Et quis est Dominus? nonne ego sum dominus mundi?“ (Ita enim vocabatur ab omnibus eciam Christianis, scilicet dominus mundi.) Et ait illa: „Alius est dominus.“ Tunc valde tritus euigilauit, et festinanter baxitas et pontifices suos vocauit et interrogauit, quis esset ille dominus, qui cum tanto imperio vocabat eum, et quomodo posset liberari ab eo? Et dixerunt ei, quod esset quidam, qui habebat specialiter vindictam sanguinis, qui volebat ab eo inquirere de multo sanguine, quem fuderat, innocentum, et quod non poterat euadere nisi per multas elemosinas. Et tunc scripsit Argon per omnes ciuitates orientis, quod omnes captiui dimitterentur, et misit magnos thesauros, et fecit fieri maximas elemosinas, et post modicum mortuus est.

Et hec de Tartaris sufficiant. Nunc autem prosequamur de nostra peregrinacione.

CAP. XIIII.

Procedentes autem ad regionem frigidissimam inuenimus pulchram ciuitatem, in altissimo loco sitam, cuius nomen est *Arcirum* [122]. Ibi est tantum frigus, quod inuenimus magnam multitudinem hominum truncatorum: ab aliquo ceciderat nasus, ab aliquo pes, vel pedes, vel crura, ab aliquo manus propter frigus.

Inde vero procedentes contra fines Thurchie inuenimus altissimum montem, super quem requieuit archa Noe. Nam tota illa prouincia cum parte Persarum dicebatur *Armenia maior*. Montem autem illum vidimus a remotis. Est autem ita altus, vt in experimento probauimus, quod inuenimus, quod omnia flumina a monte illo descendebant versus partes orientales et intrabant [123] mare indicum. Et hoc est expresse argumentum contra Indos, qui menciuntur [124] dicentes, quod diluuium tempore Noe non peruenit ad eos.

Inde procedentes versus aquilonem intrauimus in *Persidem*. Ibi inuenimus montes et alpes salis. Et illud est sal terre, non aque, quod non facile [125] liquescit, sicut aliud sal, nec facile rumpitur. Cauant autem et frangunt sal, sicut in partibus nostris lapides. Et postea illud frangunt ferreis instrumentis.

In eadem quoque prouincia sunt fontes olei, maxime in *Mogano* [126]. Vnde omnes ille prouincie vsque Baldacum et vsque in Indiam vtuntur sale terre et oleo fontis. Et licet incole terre sunt Sarraceni et mali homines, tamen sua beneficia non subtrahit eis ille, qui solem suum facit oriri super bonos et malos.

Inde procedentes per regnum Persarum peruenimus ad terram gratissimam [127] et planiciem pulchram, que dicitur planicies *Delatacta*. Ibi sunt lapides, qui habent a Deo [128] virtutem sanandi et consolidandi omnem inscissuram [129], vt non sit opus eis medico nec alia medicina.

Inde venimus in *Thaurisium* [130], que est metropolis Persarum. In Thaurisio, ciui-

122) *Arcirum*] recens Arzerum, Erzerum, antiqua Arzes, Arzen, Atranutzin.

123) *intrauit* G.

124) Vocabula *contra Indos*, quae repetit G., omisimus.

125) *de facile* G.

126) *Mogano*] Videtur esse planicies Moghan ad Araxem et mare caspium. V. Ritteri geogr. s. v. Moghan in indice ad voll. VII—XI.

127) Vocabula *peruenimus* et *terram* e coniectura supplevimus.

128) Cod. G. *adeo*, quod mutavimus.

129) *inscissuram*] incisuram.

130) *Thaurisium*] est Tabriz, Tauris. Cf. Ritteri geogr. IX. 852 sqq.

tate Persarum, inuenimus inter [131]) alia monstra siluestrem asinum Indie, qui ab aliquibus reputatur onager, et distinctione et varietate colorum et proporcione tactabriature [132]) excedit in pulchritudine omnes alias bestias et animalia mundi.

Ibi stetimus per medium annum, et predicauimus eis per Thurcimannum in lingua arabica.

XV. DE CURTIS [133]) IN REGNO TARQUESTENSI.

Inde progredientes versus meridiem venimus ad monstruosam et rabiosam gentem *Curtorum*, qui excedunt in malicia et feritate omnes barbaras naciones, quas inuenimus. Habitant enim in montibus et preruptis locis, sicut capre siluestres. Vnde et Tartari, qui subiugauerunt sibi omnes alias naciones orientales, illos autem [134]) non potuerunt eis [135]) subicere. Dicuntur autem *Curti* non quod sunt breuis stature: sunt autem [136]) valde magni in corpore, sed *curti* in lingua persica sonat *lupi* [137]). Incedunt autem quasi nudi et discrinati [138]), cum longis capillis et longa barba, et in capite ferunt quasdam cristas rubeas in signum superbie et dominii. Et nisi Curtus faciat aliquid malum de aliqua magna prodicione vel depredacione, vel de magna occisione, non habet inter eos honorem, nec audet portare aliquid in corpore, nec inuenit vxorem; postquam autem fecerit aliquod notabile malum, dant ei vxorem magnam et potentem secundum malum, quod fecit: si paruum, paruam; si magnum, magnam.

Isti sunt Sarraceni, et recipiunt alcoranum, et multum odiunt Christianos, magis autem Francos, maxime vero religiosos, in quorum occisione maxime incrassantur. Horum rabiem conuertit Deus nobis in mansuetudinem, et humanitatem prestiterunt nobis querentes socios nostros per desertum errantes. Et extraxerunt eos de niuibus, et fecerunt eis magnos ignes, et presentauerunt nobis mel siluestre et manna celi, quod ibi in deserto eorum copiose descendit.

Isti primo fuerunt Caldei, et secundo Christiani, et tercio facti sunt Sarraceni propter largam legem. In eis maxime vigent tria peccata, scilicet homicidium, latrocidium et prodicio. Nam nullo modo potest homo confidere de iuramento et promissione eorum. Habent eciam predicti Curti multas alias bestialitates, quas enarrare longum esset. Nam quando aliquis eorum suffocatur in flumine, puniunt ipsum flumen, mittentes aquam in vtribus et percucientes fortiter super vtres et ipsum flumen diuidentes in multas diuisiones et diuertentes eum et prolongantes ei viam, vt faciant eum laborare in aresto [139]).

XVI. SEQUITUR DE NINIUE, CIUITATE GRANDI.

Deinde vero longa spacia terrarum transeuntes, venimus ad *Niniuen*, ciuitatem grandem. Que grandis fuit longitudine, non latitudine; nam sita fuit in longum iuxta fluuium paradisi Tigridim.

131) *intra* G.

132) *tactabriature*] Hoc vocabulum apud Ducangium non invenitur.

133) L. ms. habet *Turcis*, et in sequentibus *Turcorum*, *Turci*.

134) *autem*] supervacaneum est.

135) *eis*] sibi.

136) *autem*] *enim* melius dicendum erat.

137) *lupi*] *Lupus* persice dicitur گرگ, *gurk*.

138) *discrinati*] Vocabulum inauditum, significat fortasse *crinibus passis*.

139) Haud scio an recte legi deforme hoc vocabulum.

Ibi ostenderunt nobis montem, vbi stetit Ionas, et fontem, de quo bibebat. Vnde et vsque hodie dicitur fons Ione. Ipsa vero ciuitas totaliter subuersa est, et apparent signa et fortilicia. Est autem nunc reedificata ex alia parte fluminis, et dicitur *Monsal*[140]).

Rex ciuitatis est Christianus, Nestorinus tamen. Qui libenter audiuit predicacionem et fidem, sed non mutauit ritum.

Ibi sunt multi Iudei, et vicimus eos publica disputacione in synagoga eorum.

XVII. DE IACOBINIS[141]).

Iuxta eandem ciuitatem supra fluuium paradisi est nominatissimum et famosissimum monasterium sancti Mathei apostoli[142]). Ibi est sedes patriarche Iacobinorum. Et dicunt ibi esse trecentos monachos. Ad quos accedentes, inuenimus eos homines magne abstinencie et multe oracionis. Nam omni die preter ecclesie officium, quod est valde prolixum, dicebant totum officium stando. Sunt vero heretici, dicentes in Christo esse vnam substanciam, vnam naturam et vnam voluntatem et vnam operacionem, scilicet tantum, et neque baptisant in forma ecclesie seu in forma euangelii, sed dicunt: „Baptizetur N. in sanctificacionem et saluacionem et in operacionem sine defectu et in resurrectionem benedictam, que est de mortuis in vitam eternam. In nomine Patris! amen; in nomine Filii! amen; in nomine Spiritus Sancti, vite seculi seculorum!“

Conficiunt autem de fermentato, et commiscent similiter farinam, aquam, salem et oleum, et de tali celebrant. Nec possunt celebrare nisi de pane calido vel valde recenti.

Inungunt autem mortuum oleo sancto, quando sepelitur, non autem infirmum. Post tertium vero diem sepulture infundunt supra mortuum aquam rosaceam et quasdam potaciones, vt mortuus bibat et anima recedat ad locum suum, et desperet ammodo[143]) redire posse ad vitam, quam vsque tunc dicunt expectare, vt suo corpori coniungatur; postea vero totaliter desperat redire et recedit. — Peccata non confitentur nisi soli Deo, et hoc in generali. Alios infinitos errores habent.

Nos autem in eorum monasterio non receperunt vt homines, sed vt angelos, et narrabant nobis miracula, que patres et monachi eorum in loco illo fecerunt. Et maxime vnum oculata fide nobis ostenderunt, quod non in clanculo, sed manifeste contigit. Semel enim congregati Curti, de quibus superius fecimus mencionem, fecerunt exercitum et obsederunt monasterium, et cum nichil possent preualere, quia erat inexpugnabile, irati Curti ascenderunt super magnum montem, qui est super monasterium, et diruerunt maximum saxum per montem, vt veniret recto cursu supra monasterium, vt ipsum dirueret et monachos occideret. Predictum autem cursu precipiti ruit in monasterii murum altum et fortem, et nullum dampnum fecit, sed fregit de muro quantum muratum in muro[144]), vt ipse murus forcior esset. Cum autem hoc viderent ferocissimi homines Curti, recesserunt, nec ausi sunt amplius redire. Nos autem murum vidimus et saxum in muro non iam iuxta terram, sed in altum in muro, vt satis oculata fide appareat, quod non opere humano, sed miraculo diuino ibi remansit.

Multa alia miracula narrabant nobis, que longum esset enarrare. Nos autem in-

140) In margine legitur: *Monsal, i. e. Niniue, de quibus Marcus libro primo capite XV.* Ceterum Monsal esse recentem Mosul neminem fugit.

141) Iacobitis.

142) *Mathei apostoli*] V. Ritteri geogr. IX. 735 sqq.

143) *ammodo*] dehinc, deinceps.

144) *muro*] Dicit Ricoldus, ut videtur, saxum muro fracto infixum inhaesisse.

stabamus humiliter et importune, vt verbum Dei audirent. Cum autem renuerent, timen- 21
tes, ne ipsos deciperemus, per simplicitatem scripture videbant nos esse homines litteratos, et dicebant de nobis: „Si audiuerimus eos, trahent nos ad suam heresim.“ Contigit 22
autem de nocte terre motus, vt timeremus non solum monasterium, sed et totum saxum et montem dirui. Post hec vero audiuerunt pacifice predicacionem. Et cum audiuerunt, 23 24
quod intendebamus destruere errores eorum, arbitrati sunt, quod possent nos publica disputacione superare. Conuenientes autem ex condicto ad disputacionem ostenderunt 25
se esse alienos a veritate. Qui multitudine [145]) se armauerunt et statuerunt vnum super 26
omnes episcopum, quem reputabant magis litteratum et ydoneum ad respondendum. Et 27
accensis multis cereis de nocte a luminaribus copiosis in maximo cenaculo sederunt omnes et dixerunt, quod diceremus, qua de causa iuerimus ad eos. Nos autem respon- 28
dimus, quod iueramus causa salutis eorum, et assumpto verbo commendauimus in eis opera perfectionis, que ostendebant, scilicet tam strictum et tam longum ieiunium et maximam abstinenciam et prolixitatem et deuocionem oracionis, et adiurauimus eos per sanguinem Crucifixi, quem maxime venerantur, ne cum tot laboribus ex sua infidelitate descenderent ad infernum, et quomodo errabant in Christo. Cum enim dicunt esse ve- 29
rum Deum et verum hominem, dicunt eum habere vnam naturam, vnam voluntatem et vnam operacionem. Et audientes pacifice raciones et auctoritates contra se, ita stupe- 30
facti sunt, et priuauit eos Spiritus Sanctus responsione et verbo, vt silencium eorum omnibus esset in stuporem et nobis ipsis. Et ipse, quem statuerant respondentem, prior 31
omnibus conuersus est. Suis autem increpantibus eum, quare non responderet? dixit 32
clara voce in caldeo: „Fratres, significo vobis, quod ad ista nequaquam possumus respondere.“ Exurgens autem ex eis vnus antiquus et honorabilis inter eos, quem de 33
sanctitatis prerogancia inter omnes alios maxime commendabant, dixit coram omnibus alta voce cum lacrimis: „Fratres, annuncio vobis, quod iste religiosus, qui venit ad nos de partibus occidentalibus, vt dicit, et modo inter nos proposuit verbum Dei, non est homo, sed est vel angelus, quem misit Deus ad nos, vt non dampnemur, vel est vnus de apostolis, qui erant cum Christo.“ Et conuersus ad fratrem predicatorem, qui pro- 34
posuerat verbum, dixit: „Dic quicquid vis, et quicquid dixeris recipiemus a te, sicut esses vnus de apostolis!“ Et maiores quidem eorum susceperunt verbum in mansuetu- 35
dine et promiserunt nobis, quod fidem, quam a nobis audierant, inconcussam et integram conseruarent [146]) vsque ad mortem. Turba vero aliorum monachorum turbati sunt insi- 36
pientes corde, et excitauerunt sedicionem non modicam. Et factus est tantus clamor et 37
tumultus inter eos, vt timeremus, ne se mutuo interficerent. Et cum omnes raciones et 38
scripture deficerent, dixerunt, quod eis esset ad ignominiam et obprobrium, vt fidem, quam patres eorum inconcussam tenuerant octingentis annis, modo mutarent propter quosdam occidentales, qui cum loycalibus [147]) et subtilitate argumentorum seducebant [148]) eos. Cum autem in paucis diebus cresceret numerus fidelium, quia plures ex eis conuer- 39
tebantur, creuit et [149]) seuicia pariter infidelium, tantum, quod fideles rogauerunt nos, quod cito exiremus de monasterio, ne nos discerperent. Patriarcha eorum primo tamen 40
publica disputacione a nobis, ymmo a Deo totaliter superatus, tandem nobiscum plene in omnibus concordauit, et fidem suam manuscriptam nobis tradidit, in qua aperte con-

145) Fortasse addendum est *scripturarum*. Cf. infra § 38.

146) *conseruarant* G.

147) *loycalibus*] logicis syllogismis.

148) *seducebant*] seducerent.

149) *creuit eciam et* G.

fessus est in Christo esse duas integras et perfectas naturas, diuinam scilicet et huma-
41 nam. Et conuocato clero et magno populo in ciuitate Niniue grandi in platea propter multitudinem populi predicauimus fidem catholicam arabice, et ostendimus errores Iacobinorum coram populo et clero iacobino, ipso patriarcha et clero asserente, quia sic
42 erat [150]) vere, vt dicebamus. Hec autem scripsimus et diximus non nosmet ipsos commendantes, sed solum Deum, cuius uirtute hec acta sunt, glorificantes, qui renouare nouit Sua miracula, quando Sibi placuerit; qui non solum per apostolos, homines galileos et simplices piscatores, confudit et superauit sapienciam mundi, sed eciam per asine rudimenta corripuit prophete [151]) insipienciam.

43 Notandum autem est, quod preter errores predictos in multis aliis periculosissime
44 errant. Nam tam Iacobini quam Nestorini contra euangelium separant matrimonium quacumque ex causa, et repudiata accipit alium virum, vt wlt, et vir accipit aliam mu-
45 lierem, vt placet. De misterio Trinitatis Sancte dicunt tam Iacobini quam Nestorini,
46 quod Pater et Filius et Spiritus Sanctus sunt tres persone, id est tres qualitates. Vnde
47 ipsi arabice dicunt *thelathe* [152]) *fatfat* [153]), quod interpretatur tres qualitates [154]). Iacobini autem et omnes orientales nec sciunt purgatorium, nec credunt animas beatorum premiari in vita eterna, nisi post resurrectionem corporum tantum, nec animas dampnatorum tor-
48 queri in inferno nisi post diem iudicii. Ponunt autem preter infernum et paradisum quedam receptacula animarum, et illud de cruciatu diuitis epulonis dicunt esse parabo-
49 lam. Et multi alii sunt errores eorum, quos longum esset enarrare.

XVIII. DE MARONITIS [155]).

1 Nos autem vlterius procedentes de Niniue, ciuitate grandi, intrauimus fluuium paradisi, qui est Tigris, et super vtres continue iuimus per ducenta miliaria et vltra vsque
2 ad Baldacum [156]). Inuenimus tamen in medio magnam ciuitatem. Ibi sunt multi Maro-
3 nite et archiepiscopus Maronitarum [157]). Sunt autem Maronite de monte Libani, qui di-
4 cunt in Christo esse tantum vnam voluntatem. Archiepiscopus tamen a nobis audiuit cum ambitione [158]), et manu propria subscripsit pape de fide, vt voluimus, et de obediencia ad papam et sanctam romanam ecclesiam. In eadem ciuitate sunt multi Iacobini, qui nos receperunt fere vt angelos Dei, et ecclesias et monasteria pulcherrima offerebant no-
5 bis. Sed et Iacobini eiusdem ciuitatis quodam tempore edificauerunt quandam ecclesiam canis extra ciuitatem in casali iuxta fluuium paradisi, et omni anno faciunt semel fe-
6 stum canis; dicunt enim, quod ad litteram habuerunt canem magne virtutis. Est autem nomen predicte ciuitatis *Techerit* [159]).

7 Inuenimus eciam quandam magnam ciuitatem in longum iuxta fluuium, que fuit
8 *antiqua Baldac* siue *Babilonia*, et magnis ruinis videtur quasi altera Roma. Est autem fere destructa totaliter, et pauci habitant in ea, et illi sunt Sarraceni, sequentes Ahali [160]).

150) *quia sic erat*] ita esse, ut diceremus.

151) *prophete*] Balaam; v. Num. XXII. 22 sqq.

152) *Thelathe* est arab. ثَلَثَة, (thalatha) tres.

153) *Fatfat* est aut Pluralis fractus nominis وَص (fattu), aut صِفاق (sifâtan) qualitates.

154) *tres qualitate* G.

155) *Maranitis* G., nec tamen semper.

156) *Baldacum*] Bagdad.

157) *Maronitarum*] Bod. G. habet *Maronorum*.

158) *cum ambitione*] Cod. G. habet: *in ambico*, quae e coniectura mutavimus.

159) *Techerit*] Nunc Tekrit. Cf. Ritteri geogr. X. 222 s. Codex habet *Techeril*.

160) *Ahali*] De Alitis cf. Moeurs et usages des Turcs. T. I Paris. 1747 p. 294 sqq.

Intelleximus autem, quod incole ciuitatis expectant quendam filium Ahali, qui mortuus est per sexcentos annos, et nutriunt ei semper vnam pulchram mulam, vt eum honorifice recipiant. Et mulam ipsam representant pontifices eorum populo sellatam et phaleratam omni die Veneris, quando congregantur ad predicandum legem suam. Dicunt autem, quod predictus filius Ahali omnino redibit ad eos. Et in diebus ipsius dicunt quod apparebit Christus et efficietur Sarracenus.

XIX. DE BALDACO.

Venimus autem per fluuium recto cursu vsque *Baldacum*, ciuitatem mirabilem. Ibi occurrerunt nobis fratres nostri ordinis extra ciuitatem. Quos cum vidimus, tantus erat fletus et inundacio lacrimarum pre gaudio, quod paucis verbis explicari non posset. Est autem Baldacum amenissima ciuitas, quia per medium eius currit magnus fluuius Tigris. Ista creditur esse Susis [161]), ciuitas antiqua. In hac itaque ciuitate creduntur esse plus quam ducenta milia Sarracenorum, et licet habitacio sit Sarracenorum, est tamen dominium Tartarorum. Ibi fuit sedes Sarracenorum; nam ibi Califa [162]) (quod interpretatnr successor Machometi) stabat. Ibi eciam est sedes Nestorinorum [163]).

XX. DE NESTORINIS [164]).

Sunt autem Nestorini heretici sequentes et Theodorum. Et licet in multis errent, maxime tamen in Christo errant, quem dicunt natum de virgine purum hominem, postea vero adeptum fuisse filiacionem Dei per baptismum et per sancta opera, que fecit. Vnde dicunt Dominum Ihesum Christum non filium Dei naturalem, sed adoptiuum. Et dicunt, quod Deus in illo homine habitauit sicut in templo. Vnde dicunt misterium incarnacionis fuisse per quendam honorem, quem assecutus est homo ille, et per voluntatem. Vnde et plures eorum dicunt in Christo vnam solam esse voluntatem. Vnde licet concedant Christum esse verum Deum et verum hominem, et confiteantur Christum de virgine natum, non tamen volunt confiteri, quod Deus sit natus de virgine, vel virginem esse genitricem Dei, sed hominis genitricem tantum [165]). Vnde dicunt, quod non est idem, qui natus est ex Deo patre ab eterno et ex virgine matre ex tempore. Et ne cogantur eum propter hoc diuidere in duos filios, dicunt esse vnum *sciax*, scilicet vnam personam [166]); et ne cogantur dicere Deum natum ex virgine, diuidunt eum in duo *acuum* [167]), i. e. duo supposita. Unde ipsi omnes dicunt Christum esse vnum *sciax* et duo *acuum*, quod secundum Nestorium, qui fuit Grecus, sonat vna persona et duo supposita. Ipsi tamen Nestorini orientales sunt Caldei, et in caldeo legunt et orant. Vnde nullo modo sciunt, que est differencia inter *acuum* et *sciax*, et igitur valde vtile querere ab eis, que est inter *acuum* et *sciax* diffinicio, et que est differencia inter *acuum* et *sciax*. Et secundum veritatem penitus nulla est differencia, nisi *sciax* est no-

161) *Susis*] Susa, nunc Sus.

162) *califus* G.

163) *Nestorinorum*] Cf. Ritteri geogr. IX. 671.

164) i. e. Nestorianis.

165) Cf. Neandri hist. eccl. T. II Partem III p. 958 sqq.

166) *vna persona* G. Vocab. *sciax* est arab. شَخْص (*schachs*) persona.

167) *Acuum*, quod infra *achanum* dicitur, est sive arab. أُقْنُوم (*uknûm*), sive syr. ܐܘܢܘܡܐ (konôma) Vid. Bernstein ad Kirschii Chrestom. syriac. pag. 450; id quod me docuit Iul. Aug. Reimers V. D.

men arabicum, et sonat idem quod persona, et *acuum* est nomen caldeum, et sonat idem
14 quod persona, vel suppositum, vel indiuiduum. Et secundum hoc ipsi dicunt in arabico Christum esse vnam personam, et in caldeo Christum esse duas personas; nam quicquid
15 dicunt de *sciax*, coguntur secundum veritatem dicere de *acuum* et e conuerso. Ipsi vero neutrum concedunt, et per istam viam negant Deum esse de virgine, quia dicunt, quod
16 non inuenitur expressum in tota scriptura. Per eandem racionem negant Deum vel Dei
17 Filium verum esse passum et mortuum. Et dicunt Ihesum Christum esse prophetam et
18 famulum Dei secundum illud Mathei et Ysaie: „*Ecce, puer meus electus*“ [168]). Et posicio eorum de Christo, si subtiliter inspiciatur, totum misterium incarnacionis euacuat, et de
19 Christo fere idem senciunt, quod Sarraceni. Et dicunt Christum esse verbum Dei et na-
20 tum de virgine et Spiritu Sancto. Vnde et ego inueni per antiquas historias et autenticas aput Sarracenos, quod ipsi Nestorini amici fuerunt Machometi et confederati cum eo, et quod ipse Machometus mandauit suis posteris, quod Nestorinos maxime conserua-
21 rent. Quod vsque hodie diligenter obseruant ipsi Sarraceni.

22 Iacobinos autem maxime odiunt et persequuntur, quia dicunt Deum de muliere
23 natum et in cruce mortuum. Ex quo frequenter occiderunt eos tam Sarraceni, quam
24 Nestorini. Semel namque patriarcha vel archiepiscopus eorum litteratus vocauit patriarcham Nestorinorum ad disputacionem, et cum deberent statuta die conuenire coram Califa de Baldaco, et cum timeret patriarcha Nestorinorum, venit quidam Iacobinus, qui odiebat alios Iacobinos, quia eum non promouerunt ad archiepiscopatum, et dixit Ne-
25 storinis, quod ei secure committerent responsionem, quia faceret eos victores. Conue-
26 nientes autem die statuta coram Califa dixerunt Nestorini, quod talis clericus respon-
deret pro eis. Et requisitus ex parte Calife semel et iterum quod veniret, venire distulit; tercio vero requisitus, quod veniret, tandem venit coram Califa et toto clero, deferens
27 sarculum et palum et instrumenta ad fodiendum terram. Cum autem argueretur, quare non statim venerat ad Califam, dominum mundi, et quare portauerat instrumenta ad fodiendum terram? peciit veniam, asserens se maioribus negociis occupatum, et ait: „Heri sero mortuus est Gabriel angelus, et ego modo fodi foueam ad sepeliendum eum.“
28 Cum autem Califa vellet scindere vestes propter blasphemiam, et diceret impossibile esse angelos mori, ait ille: „Quid mirum, quod angeli moriantur et sepeliantur, si Deus ipse
29 in persona fuit mortuus et sepultus?“ Et cum diceret Califa: „Qui dicunt, quod ipse fuit
30 mortuus et sepultus?“ respondit: „Omnes Iacobini hoc dicunt.“ Requisiti autem super
31 hoc Iacobini, asseruerunt sic esse, scilicet Deum fuisse mortuum et sepultum. Tunc
32 mandauit Califa, quod omnes Iacobini occiderentur in omnibus partibus illis. Et sic oc-
33 cisi sunt, quod pauci remanserunt. Hoc autem diximus, asserentes, quod quasi eodem modo pro inconuenienti habent Sarraceni et Nestorini contra Iacobinos, quod Deus fuit mortuus et sepultus.

34 Errant eciam Nestorini cum Iacobinis et quasi cum omnibus orientalibus in mi-
35 sterio Trinitatis. Dicunt enim, quod Pater et Filius et Spiritus Sanctus sint *thelathe* [169]) *fatfat*, quod interpretatur [170]) tres qualitates, cum tamen in caldeo dicant eos *thelathe achanum* [171]), et in arabico dicant eos *thelathe sciax*, quod interpretatur tres persone vel tria

168) Ies. 42, 1. Math. 12, 18.
169) In libro ms. est *thesathe*. Sed cf. XVII. 46 p. 126.
170) passive, quod etiam apud Livium legitur.
171) Supra *acuum* dicitur.

supposita. Errant eciam negantes purgatorium et dicentes eciam, quod nec anime 36
dampnatorum descendunt ad infernum, nec anime beatorum recipiuntur in paradisum
ante diem iudicii. Baptisant autem in forma Grecorum, scilicet: „Baptisetur autem ta- 37
lis in nomine Patris etc. Efficaciam et perfectionem baptismi ponunt et credunt consi- 38
stere in quadam vnctione, quam faciunt de quodam oleo, de quo dicunt, quod oportet
baptisatum totaliter inungi; quodsi minima pars corporis remaneret inuncta, dicunt quod
dyabolus intraret ibidem. Baptisantes autem non instruunt de fide, nec fidem exigunt. 39

De fermentato conficiunt commixtam pascam cum oleo. Immiscent autem cum 40 41
pasca consecranda aliam quandam pascam, quam conseruant, semper restaurantes de
pasca [172]) noua quantum de ea accipiunt, et dicunt, quod est quedam pars corporis
Christi, quam acceperant a sancto Iohanne euangelista, qui accepit in cena duplicem
partem: vnam comedit et alteram partem eis dedit.

Peccata non confitentur nisi Deo, nec in vita nec in morte. Ipsi eciam in parti- 42 43
bus orientalibus faciunt circumcisionem, et (quod monstruosius est) inuenimus in quadam
ciuitate, que vocatur *Harbe*, quod ipsi circumcidebant non solum paruulos, sed eciam
mulieres, et licet non potuerimus bene intelligere, quid incidebant, per veritatem tamen
comperimus, quod puellas circumcidebant.

Eucharistiam illam vel pocius panem, quem dicunt esse corpus Christi, dant viris 44
et mulieribus et pueris paruulis in manum [173]). Dant eciam sanguinem siue vinum. In 45 46
morte nullum communicant vel inungunt. Res consecratas disconsecrant, puta panem 47
benedictum vel aquam, quando volunt ea proicere. Disconsecratur altare eorum et opor- 48
tet reconciliari per episcopum, si sacerdos ad ipsum intraret postquam communicauit.
Item si intraret ad ipsum aliquis, qui non esset Nestorinus; si intraret eciam ad ipsum 49
quicumque [174]) sine sorrabulis [175]) vel capite cooperto; item si lampas frangitur vel ca-
dit, et si intraret catus vel quecumque bestiola excepto mure; soli enim muri concesse-
runt priuilegium, quod possit intrare ad altare, et non disconsecratur. Disconsecratur 50
eciam, si vna gutta aque vel de pluuia caderet ibi, et multa alia, que longum esset
enarrare.

Ipsi eciam contrahunt in gradibus prohibitis et soluunt matrimonia, et repudians 51
vxorem de licencia ecclesie accipit aliam. Sacerdos mortua prima vxore accipit aliam. 52

Habent eciam tres missas: vnam videlicet Nestorii, aliam Theodori, magistri Ne- 53
storii. Aliam dicunt esse apostolorum, in qua nichil et omnino de forma corporis vel 54
sanguinis. In aliis missis licet aliquid sit de forma, non est tamen intencio eorum, quod 55
tunc consecrent, sed postea ad finem misse, ad quandam inuocacionem Spiritus Sancti.
Et alios tot errores habent, quod longum esset prosequi. Et vt multa breuiter colligam, 56 57
expresse contradicunt illi verbo, quod dixit summus magister [176]): „*Arta est via, que du-
cit ad vitam* etc.“

Dicunt, quod sufficiat Christiano, si faciat sibi signum crucis super faciem et oret 58
ad orientem et comedat carnes porcinas. Alia vero, que addunt, sunt quedam perfectio- 59
nes. Sunt enim magne abstinencie, multum orant et multum ieiunant. Religiosi eorum 60 61

172) *pasca* G.

173) manu G.

174) *quicumque*] aliquis.

175) *Soccabula* fortasse sunt socci, calceorum genus. Ducangium frustra consului, qui nec sorrabula habeat nec soccabula.

176) Matth. VII. 14.

episcopi, archiepiscopi et patriarche in perpetuum non comedunt carnes nec condimentum carnium, nec eciam pro infirmitate mortali.

62 In habitu siue in vestitu tam religiosi quam episcopi eorum magnam paupertatem
63 et austeritatem et humilitatem ostendunt. In quadragesima ieiunant tam in Dominica,
64 quam in aliis diebus. Similiter Nestorini quam Iacobini in quadragesima omnes tam religiosi quam seculares nullo modo comederent pisces nec biberent vinum, alio vero
65 tempore ebrietatem non reputant peccatum, sed honorificum quid. Mendacium quasi nichil reputant.

66 Errorem autem eorum defendunt ex duobus: primo quia dicunt, quod multi eorum
67 habent spiritum prophecie. Et de futuris multa vera predicunt, et hoc procul dubio de
68 aliquibus per experienciam verum esse probauimus. Secundo dicunt, quia multi maiores
69 eorum multa miracula faciunt. Nam apud eos certissimum putant, quod super Nesto-
70 rium lux de celo visibiliter descendit, quando celebrabat missam. Ipsi autem dicunt, quod patriarcha eorum, quem ipsi vocant *iaselic*, quod interpretatur *vniuersalis* [177]), in momento, in ictu oculi iuit de Baldaco, vbi est sedes eius, vsque in Mecham, vbi sepultus
71 est Machometus. Distat Mecha a Baldaco plus quam triginta dietas. Et multa similia
72 miracula referunt Nestorini de suis hereticis patribus.

73 Cum igitur accederemus ad eos in Baldacum, vbi est sedes eorum, receperunt nos gratanter prima facie; sed audito, quod predicauimus virginem Dei genitricem et dicebamus, quod beata Maria peperit Deum et hominem, statim publica eorum predicacione contradixerant hoc et nos de eorum ecclesia turpiter eiecerunt, et ipsam ecclesiam, in qua predicaueramus contra Nestorium, lauauerunt cum aqua rosacea, et celebrauerunt solempnem missam, vt eum placarent.

74 Cum vero nos sic eiecissent et excommunicassent de omnibus ecclesiis eorum, nec verbum Dei a nobis reciperent, et nos conquireremus apud eorum archiepiscopum, quod seruos Dei, viros christianos et religiosos predicatores, qui de regione longinqua iueramus ad eos causa salutis eorum, sic afflixissent, ipsi, moti quadam pietate iniqua, obtulerunt nobis bonum locum et ecclesiam et necessaria alia, hoc pacto solum, quod a
75 predicacione cessaremus. Nos autem totaliter recusantes pactum facere cum inferno et morte, diximus, quod nos iueramus ad eos non vt ab eis reciperemus palacia vel eccle-
76 sias, sed vt gratis eis predicaremus verbum Dei. Contestati autem publice fuimus inter eos, quod pocius eligebamus pauperes habitare in communi via et sine domo et libere predicare fidei veritatem amore Ihesu Christi, qui pro nobis natus est in diuersorio pauper, quam quecumque palacia vel temporalia recipere ab eis et a predicacione cessare.
77 Post hec veniens patriarcha eorum, qui distabat per decem dietas et amplius, dum sederet ipse patriarcha in *ioserchiarcha* [178]), in sua sede deaurata, et ad pedes eius episcopi et archiepiscopi et religiosi, nos autem armati gracia Dei ita confudimus omnes, vt ipse patriarcha coram omnibus mentiretur, et negauit se esse Nestorinum, nec imitatorem
78 Nestorii. Et versi sunt omnes in stuporem de taciturnitate eorum et silencio. Post hec
79

177) Codex habet *iafelie*, quod mutavimus, Ritterus enim geogr. X. 274 Patriarcham *Iacolit* s. *Iakolich*, quod sit καθολικὸς, dici tradit.

178) De *Iarcha*, in throno aureo sedente, Gymnosophistarum Indiae Pontifice Maximo cf. Hieronymum ad Paulinum epist. in Hieronymi operibus, editis Paris 1706 T. IV P. II p. 568 et Philostrati vitam Apollonii Tyan. in Flavii Philostrati quae supersunt ed. C. L. Kayser p. 49 v. 30, vitae Apollonii I'XVI.

autem archiepiscopi et episcopi semet ipsos adinuicem arguentes de silencio tante confusionis et ipsum patriarcham verbis asperrimis increpantes et improperantes, quod erat Francus et aduersarius Nestorii, iactauerunt se, quod possent nos disputacione publica superare. Et commissa responsione cuidam archiepiscopo, cum autem [179]) conueniremus in loco communi, vbi erant archiepiscopi et episcopi et alii quamplures, totaliter priuauit eos Dominus responsione, ita quod non solum respondens, sed omnes, qui aderant, verterentur in admiracionem et stuporem. Cum autem turpiter et totaliter deficerent non solum in respondendo, sed eciam in querendo, facti sunt ita formidulosi in loquendo nobiscum, quod non audebant comparere coram nobis. Plures autem ex eis, et maxime maiores et magis intelligentes, videntes, quod eorum perfidiam non poterant defendere nec nostram fidem aliqualiter impugnare, dixerunt: „Confitemur, quia hec est veritas fidei, quam predicatis, sed non audemus aliis dicere publice, ne ab eorum contubernio repellamur.“ Dilexerunt enim magis gloriam hominum quam Dei. Patriarcha eciam contra voluntatem episcoporum ordinauit, quod in eorum locis verbum Dei libere predicaremus, et ita inceperunt audire et ad fidem redire, et venientes peccata sua confitebantur.

XXI. DE SARRACENIS.

In eadem ciuitate, scilicet Baldaco, fuit sedes et principalitas Sarracenorum quantum ad studium et religionem et quantum ad dominium. Ibi eciam regnabat Califa, quod interpretatur successor Machometi. Et dicunt Sarraceni, quod ipse erat facies Dei in terra. Quem Califam Tartari occiderunt, vt superius patuit.

In ipsa quidem ciuitate, licet sit pro maiori parte destructa, est tamen maxima multitudo populi in ea. Nam preter Christianos et Iudeos, qui sunt ibi multa milia, sunt ibi vltra ducenta milia Sarracenorum, vt probabiliter creditur; omnes tamen sunt sub dominio Tartarorum.

Ibi Sarraceni habent maxima studia et magnos magistros, et sunt ibi religiosi eorum, et ipsorum diuerse secte ibi conueniunt.

Ibidem sunt monasteria illorum Sarracenorum, qui appellantur *Megirede*, quod interpretatur contemplantes [180]). Nos igitur cum desideraremus euacuare perfidiam Machometi, intendentes eos aggredi in sua sede et in loco generalis studii, necesse habuimus aliquantulum conuersari cum eis. Ipsi vero recipiebant nos sicut angelos Dei in suis scolis et studiis et monasteriis et in ecclesiis seu synagogis et domibus eorum, et attendimus diligenter legem eorum et opera et obstupuimus, quomodo in lege tante perfidie poterant opera tante perfectionis inueniri.

XXII. DE OPERIBUS PERFECTIONIS SARRACENORUM.

Referemus igitur hic breuiter quedam opera perfectionis Sarracenorum magis ad confusionem Christianorum, quam ad commendacionem Sarracenorum. Quis enim non obstupescat, si diligenter consideret, quanta est ipsis Sarracenis sollicitudo ad studium, deuocio in oracione, misericordia ad pauperes, reuerencia ad nomen Dei et prophetas et loca sancta, gratuitas in moribus, affabilitas ad extraneos, concordia et amor ad suos, et, vt multa paucis verbis comprehendam [181]).

179) Voc. *autem* supervacuum est.

180) *contemplanti vel contemplatim* G.

181) Hoc loco desunt quaedam.

XXIII. DE STUDIO SARRACENORUM.

1 Sciendum est, quod ipsi conueniunt in Baldaco ad studium de diuersis prouinciis [182]).
2 Habent autem in Baldaco plura loca soli studio et contemplacioni deputata ad modum magnorum monasteriorum nostrorum, et venientibus prouidetur de communi de cella, scilicet de pane et aqua, et hiis contenti instant contemplacioni et studio in maxima paupertate.
3 4 In scolis autem communibus ibi exponitur alcoranus, id est lex Machometi. Num-
5 quam ibi intrant nisi pedibus discalciatis. Vnde tam magister, qui exponit, quam discipuli, qui audiunt, dimittunt calceos extra, et nudis pedibus intrant scolas, et ibi cum maxima mansuetudine et modestia legunt et disputant.

XXIV. DE ORACIONIBUS SARRACENORUM.

1 2 De oracione vero eorum quid dicam? Nam tanta est eis sollicitudo in oracione et
3 tanta deuocio, quod stupui, cum per experienciam vidi et probaui. Nam et ego in [183]) tribus mensibus et dimidio continue iui et fui cum camelariis sarracenis in deserto Arabie et Persarum, nec vmquam propter aliqua discrimina dimiserunt Arabes camelarii,
4 quin statutis horis orarent et de die et de nocte, et precipue mane et sero. Deuocionem autem tantam in oracione pretendunt, quod omnia alia totaliter dimittunt, et aliqui
5 eorum pristinum faciei colorem subito in pallorem mutant et videntur rapi. Et aliqui eorum cadunt, et aliqui saltant et vocem variant et caput emittunt, ita quod aliqui eorum videntur rapi et aliqui arrepticii [184]).
6 In oracione maxime obseruant quandam mundiciam corporalem, et nullo modo audeant orare nisi lauent sibi culum et ventrem, postea manus, deinde faciem, ad vltimum plantas pedum, et sic orant.
7 8 Hec autem obseruant omnes eorum secte. Sed quedam est inter eos secta, que
9 vocatur Henefa [185]), et isti reputantur aliis perfectiores. Isti si intrant forum et tangeret eos cata, vel canis, vel asinus, vel aliquid immundum, non potest lauari, vt oret, nisi
10 sint mille quingenti rotuli aque. Vnde indigent fluuio. Quando autem volunt orare, digitum in anum infigit [186]), et si sentit aliquid fetoris, non est aptus vt oret, sed in fluuium reuertitur, et hoc tociens facit infigendo digitum et ponendo ad nares, quousque nichil fetoris senciat, et tunc est aptus orare.

XXV. DE ELEMOSINA ET MISERICORDIA SARRACENORUM AD PAUPERES.

1 De misericordia ad pauperes sciendum est, quod Sarraceni sunt maximi elemosi-
2 narii. Habent enim in alcorano strictum mandatum, quod dant decimam. Et de hiis,
3 4 que acquirunt per violenciam armorum, tenentur dare quintam partem. Preter hec autem faciunt magna testamenta et ponunt in gazophilacium, et statuto tempore aperiunt ea, et dant ea Sarraceno fide digno, qui vadit ad diuersas prouincias et redemit captiuos et sclauos sarracenos, qui detinentur captiui apud Christianos vel alias naciones.

182) § 1 inscriptioni praeponitur in G.

183) *in*] Cf. infra c. XXVII. 2. *In* pluribus annis.

184) daemoniaci, Italis *arretizj*.

185) *Henefa*] Cf. librum inscriptum: Moeurs et usages des Turcs. Paris. 1747 T. I p. 299 s. ubi secta illa dicitur *Haniffe*. Rittero XI. 211 sunt *Hanefi*.

186) *infigit* om. G.

Frequenter autem emunt eciam sclauos christianos, qui detinentur captiui apud ipsos 5
Sarracenos, et ducunt eos ad cimiterium et dicunt: „Tot redimo pro anima patris mei et
tot pro anima matris mee“, et dant eis litteras libertatis et dimittunt eos. Propter pau- 6
peres autem, qui non possunt redimere sclauum, ipsi Sarraceni portant per ciuitatem
aues incaueatas et captiuas in caueis, et clamant: „Quis wlt istas aues emere et dimit-
tere liberas pro anima patris sui?“ Et pauperes emunt eas et dimittunt eas abire, ne 7
anima patris sui detineatur captiua.

Ipsi eciam faciunt testamenta pro canibus nutriendis, et in ciuitatibus, vbi sunt 8
multi canes, sicut in Thurchia et in Perside et in Baldaco, inuenimus, quod canes ha-
bebant quosdam procuratores, qui requirunt testamenta relicta pro canibus, et in ciuitati-
bus, quando deficiunt testamenta, querunt elemosinam per ciuitatem et diuidunt inter
canes. Mittunt eciam bonam elemosinam de pane pro auibus fluuialibus, que certa 9
hora congregantur ad sonitum cortum [187]), et de ipsis congregatis proiciunt elemosinam.
Et hoc inuenimus maxime in Baldaco et in Niniue, ciuitate grandi. In Baldaco vero 10
ibi instituuntur multi propter maximum calorem. Habent enim iuxta ciuitatem pulcher- 11 12
rimum locum pro ipsis fatuis, et prouidetur eis optime in communi de cibo et seruitori-
bus et oportuno medico, quibus solvitur a communi.

XXVI. DE REUERENCIA SARRACENORUM [188]) AD NOMEN DEI.

Reuerenciam vero maximam habent Sarraceni ad nomen Dei et prophetas et 1
sanctos et loca sancta. Nam maxime obseruant, quod nichil notabile faciunt vel dicunt 2
vel scribunt, quod non incipiunt a nomine Domini. Vnde in suis litteris omnibus, quas 3
sibi inuicem mittunt, reuerenter nomen Dei scribunt prius, et ideo diligenter obseruant,
quod nullum scriptum dilanient vel in terram proiciant. Si autem in terra inueniunt 4
aliquid de carta scriptum, reuerenter colligunt et ponunt in loco alto in fissuris [189]) mu-
rorum, ne nomen Domini conculcetur. Quando autem nomen Domini occurrit eis vel 5
legendo vel loquendo, numquam esset ausus [190]) ipsum nominare solum, sed semper cum
certa laude, scilicet „Deus laudetur ipse!“ vel aliquid tale. Si quis autem Sarracenus 6
Deum vel aliquem de prophetis eius blasphemaret, numquam eum viuere paterentur.
Loca vero sancta, velut eorum ecclesias, semper mundissima seruant, nec ibi intrant 7
nisi pedibus discalciatis, nec vmquam ibi spuunt, nec cum ibi sedent cum natibus [191])
super calcaneis suis, et ita assuefaciunt sedere paruulos suos, ne postea fatigentur sic
multum sedere in ecclesia.

XXVII. DE GRAUITATE SARRACENORUM IN MORIBUS.

Tanta est eis grauitas in moribus, quod numquam videbis hominem sarracenum 1
incedentem capite eleuato vel sublimibus oculis, vel collo erecto vel pectore tenso vel
nauigando brachiis, sed incessu maturo, sicut perfecti religiosi et graues moribus, eciam
pueri parui. In pluribus annis, quibus cum eis conuersatus sum in Perside et Baldaco, 2
non recolo me audisse semel cantum vanitatis, sed semper cantum de laude Dei et de

187) *cortum.* Fortasse legendum est *cognitum.*

188) *Sarracenis* G.

189) *fixuris* G.

190) *ausus*] essent ausi, auderent.

191) Nec cum ibi sedent, numquam sedent nisi cum natibus et q. s.

commendacione sue legis et sui prophete. Nullus vmquam deridet alium, vel sibi [192]) detrahit, vel ipsum increpat.

XXVIII. DE AFFABILITATE AD EXTRANEOS.

1 Affabilitatem et vrbanitatem tantam seruant versus extraneos, quod nos recipie-
2 bant vt angelos. Quando autem volebamus intrare domos nobilium vel sapientum, cum tanta leticia nos recipiebant, quod videbatur nobis frequenter, quod inuenissemus hospi-
3 tes ordinis. Illi autem, qui libenter recipiunt fratres ordinis in domibus suis, frequenter eciam quadam vrbanitate et familiaritate petebant, quod aliquid diceremus de Deo vel
4 ad commendacionem Christi. Et quando coram nobis nominabant Christum, numquam nominabant eum nisi cum digna laude, scilicet: „Christus laudetur ipse!“ vel aliquid tale.
5
6 Vnum eciam valde grauiter ferebant, quod nolebamus cum eis comedere. Ipsi enim Sarraceni statim parant aliquid ad comedendum, cum ab extraneo visitantur, et
7 maxime Arabes, qui sunt inter alios Sarracenos nobiles. Numquam vero lederent homi-
8 nem, qui secure ponit se ad comedendum cum eis inuitatus. Dicunt, quod est frater eius, quia comedit cum eo panem et salem, et postea defendit eum ab omnibus aliis, eciamsi occidisset patrem suum.

XXIX. DE CONCORDIA SARRACENORUM.

1 Concordiam vero et amorem ita nutriunt adinuicem, vt vere videantur esse fra-
2 tres. Nam eciam loquendo adinuicem maxime ad extraneos, dicit vnus alteri: „O fili matris mee!“ Ipsi eciam nec occidunt se adinuicem nec expoliant [193]), sed homo sarra-
3 cenus securissime transit inter quoscumque extraneos et barbaros sarracenos. Semel Soldanus Babilonie misit de Egipto militem sibi fidelem in Syriam, vt ibi esset vicarius
4 eius et gubernaret prouinciam et mitteret ei tributa prouincie. Qui statim in superbiam
5 elatus rebellauit aduersus dominum suum Soldanum, et tota prouincia illa cum eo. Turbatus Soldanus misit contra eum maximum exercitum, et miles infidelis ex parte sua
6 eciam congregauit magnum exercitum. Et cum essent in campo altrinsecus imminente pugna dixerunt adinuicem: „Nonne sumus omnes Sarraceni? pugnare adinuicem non li-
7 cet. Accipiatur ille solus, qui rebellauit domino suo, et simus omnes in pace.“ Et sic
8 statim facta pace et summa tranquillitate de tanto exercitu vnus solus occisus moritur.
9 Vnde illi, qui habent legem occisionis et mortis, nolunt se inuicem occidere, et miseri Christiani, qui habent legem vite et mandata pacis et dilectionis, se inuicem sine aliqua
10 miseracione occidunt. Si autem Sarracenus occidat alium Sarracenum casu aut ex certa malicia, filius vel frater occisi raro expetit vindictam, et surgunt amici communes et componunt, et accipiunt occisorem et ducunt eum captiuum ad filium vel fratrem occisi, qui apprehendens eum ducit ad cimiterium, et dicit ei: „Filius quidem mortis es, quia
11 occidisti patrem meum, sed si te occidero, non rehabebo propter hoc eum.“ Et addit: „Si malum est vel fuit, quod occisus est vnus Sarracenus, peius est, quod occidantur duo.“
12 Et dicit: „*Iecumbelle* [194]), quod interpretatur sit Dei!“ et prescidit occisori capillos et
13 dimittit eum in pace. Quid igitur ad excusacionem suam dicturi sunt Christiani, qui dicunt cottidie: „Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus?“

192) *sibi*] ei, s de eo detrahit, ei obtrectat.

193) *expoliant* G.

194) Est arab. يَكُون بِٱللّٰه (*iekun billahi*) sit in Deo.

Eciam quantum in remissionem iniurie tantum eos Sarraceni excedunt! Occisionem vero multi eorum sic abhorrent[195]), quod occiderent nec gallinam nec pulicem, sed quando volunt comedere gallinam, tenent eam in manibus viuam in via et rogant aliquem de viatoribus, vt eam occidat[196]). Hoc faciunt Sarraceni, qui tamen legem habent occisionis, propter quam legem, vt duret, omnibus periculis securissime se exponunt et strenue pugnant, et sic fideliter in pugna se inuicem adiuuant, vt lex eorum duret. Habent[197]) enim, quod tam diu durabit[198]) lex eorum, quam diu virtus et victoria eorum durabit per ensem. Est enim lex violenta, vt inferius patebit. Quidam Sarracenus nomine Monchor in quodam duro bello, quod fuit inter Sarracenos et Christianos, vidit quendam alium Sarracenum probiorem se deiectum de equo, et instabat ei mors vel captiuacio a Christianis, et statim descendit de suo equo et ait: „Ascende equum meum et fuge, quia maius dampnum esset si occideris vel captiuaris, quam de me.“ Quod et fecit, et euasit, et ille fuit captus pro eo in bello. Alius autem, qui in equo eius euaserat, fuit factus Soldanus, et liberauit eum de carcere et reddidit pro eo Christianis regem Armenie, quem Sarraceni tenebant in carcere. Ecce quanta concordia inter filios iniquitatis; ecce quanta faciunt et qualia, vt duret lex perdicionis eorum, vt possint dicere Sarraceni Christianis[199]): *„Erubesce, Sidon, ait mare!“*

Supradicta autem non narrauimus ad commendacionem Sarracenorum, sed ad confusionem Christianorum, qui nolunt facere pro lege vite, quod dampnati faciunt pro lege mortis.

XXX. DE LEGE SARRACENORUM.

Porro de lege Sarracenorum aliquid vel sub breuitate ponamus. Contra quam sciendum est, quod lex Sarracenorum est larga, confusa, occulta, mendacissima, irracionabilis et violenta. Primo quidem est larga, veniens tam contra regulam philosophorum mundi, qui dicunt, quod difficile est operari secundum virtutem, sicut attingere centrum in circulo et percutere signum sagitta, quam eciam contra regulam summi et altissimi philosophi, scilicet Christi, qui dicit, quod arta est via, que ducit ad vitam. Nam de necessitate salutis non est eis aliquid, nisi quod dicant: „Non est deus nisi Deus et Machometus nuncius Dei.“ Tenent igitur communiter Sarraceni, quod si solum hoc dicit Sarracenus, saluabitur, eciamsi omnia peccata de mundo faceret. Licet enim multa alia ponantur et mandentur in lege ipsorum, scilicet in alcorano, tamen transgressoribus nulla pena[200]) in alia vita debetur. Et notandum, quod illud verbum, quod Machometus ponit in alcorano, credo, plus quam centum vicibus: „Non est deus nisi Deus“, conceditur ab omni secta. Nam de omni re ista proposicio est vera simpliciter: *„Non est canis nisi canis; non est equus nisi equus“* etc.; ipsi tamen Sarraceni volunt dicere, quod, sicut ista per se vera est: *„Non est deus nisi Deus“*, ita et ista: *„Machometus est nuncius Dei.“* Sed quantam iniuriam faciunt veritati philosophie, qui iuxta proposicionem verissimam ponunt proposicionem falsissimam, et quantam iniuriam faciunt Deo, qui iuxta veritatem Dei ponunt mendacia et falsitatem Machometi, quilibet sapiens potest per se ipsum aduertere. Et hoc dicentes solum credunt saluari. Est igitur lex larga. Et hoc

195) *Ita* G. quamquam praecessit *sic.*
196) *occidant* G.
197) *Habent*] putant.
198) *durabat* G.
199) Vid. Iesaias XXIII. 4.
200) *pena*] poena.

callide prouidit dyabolus, vt illi, qui nolunt per viam strictam ascendere ad beatitudinem, per viam largam faciliter descenderent ad gehennam.

XXXI. QUOD LEX SARRACENORUM EST CONFUSA.

Est eciam[201]) lex Sarracenorum confusa, ita quod nullus est in mundo, qui eam ad certum ordinem possit reducere, non ad ordinem temporis vel loci, vt alii prophete, qui prophetauerunt tali tempore sub talibus regibus vel in tali loco, nec ad ordinem materie, ut alii libri. Nam ita est confusa, quod nullus est, qui possit certam racionem reddere, quare istud capitulum precedat[202]) alterum vel sequatur. Et inde est, quod eandem historiam per omnia ponit aliquando in decem locis et amplius. Est igitur confusa penitus sine ordine capitulorum. Est enim confusa in sua confusione, nam in veritate nescitur, quid prohibet, simul enim aliquid prohibet et concedit; dicit enim de aliquo graui, quod prohibet: „Ne faciatis tale quid, quia a Deo[203]) prohibitum est; quod si feceritis, Deus est misericors et miserator et nouit, quia estis fragiles."

XXXII. QUOD LEX SARRACENORUM EST OCCULTA.

Est autem lex eorum occulta in sua expressione. Nam aput omnes Sarracenos certissimum et probatissimum dicitur, quod nullus est, qui sciat alcoranum, nec exposicionem alcorani, nisi solus Deus. Sed quomodo est racionabile, quod Deus dedit legem hominibus et voluit, quod seruarent illam, sed noluit, quod intelligerent? Porro quomodo possunt obseruare quod non intelligunt? Ipsi enim per exposicionem sic faciunt legem illam confusam, quod penitus deus ille, qui dedit legem illam, videtur deus fatuus. Nam ibi scriptum est, quod fornicacio est prohibita et vsura, sed quelibet vendicio et empcio est[204]) licita et non prohibita, et quod de sua re sibi liceat facere quod wlt. Vide de perfectioribus ex Sarracenis: vadunt ad prostibulum et dicunt meretrici: „Appetitus est michi, sed fornicari non licet. Vende te michi." Et illa se vendit, et soluto precio dicit ei ille: „Es bene mea." Qua concedente, quod sic, ille concludit: „De re mea secundum legem nostram licet michi facere quod volo." Et tunc secure concumbit cum ea. Et hoc idem videtur velle dicere Machometus in alcorano, quod aperto et turpi verbo profert dicens: „Fatigate mulieres, et non erit aliquod peccatum, dummodo dederitis precium, quod promisistis." Eodem modo faciunt illi, qui volunt prestare ad vsuram sine peccato. Nam tenet apotecam cum pecunia, et tenet ibi aliqua vilia venalia, et cum venerit ille, qui indiget pecunia, ille, qui prestat, protestatur, dicens: „Ego non prestarem ad vsuram, quia non licet secundum alcoranum, sed prestabo tibi gratis et tu emes aliquid a me." Et tunc prestat ei pecuniam, et ille emit aliquid ab eo, et dat ei precium, quod excedit valorem secundum quantitatem pecunie et longitudinem temporis, quo prestat ei pecuniam. Et isto modo credunt esse licitum quantumcumque ab eo accipiat. O ceci! putatis, quod Deus dedisset talem legem, qua decepisset semet ipsum et vos? Nam isto modo omnis transgressio poterit fieri licita.

XXXIII. QUOD LEX SARRACENORUM EST MENDACISSIMA.

Est enim lex ipsa mendacissima. Nam Sarraceni preter alcoranum habent quendam alium librum, quem dedit eis Machometus, in quo talia mendacia sunt et talia in-

201) *enim* G.

202) *precedit* G. Sed idem habet *sequatur*, quare scripsimus *precedat*.

203) adeo G.

204) *et* G.

credibilia, quod longum et stupendum esset dicere. Et cum admirarentur Sarraceni et quererent a Machometo, si omnia illa vera erant? respondit, quod in eo erant duodecim milia mendaciorum. Que dixit idem Machometus; reliquum vero totum in sua veritate et auctoritate permanet. O ceci, non sufficit vobis ad credendum Machometum mendacem et suum librum, quia non solum dixit mendacium, sed et scripsit et dimisit vobis in eodem libro duodecim milia mendaciorum? Sit vobis solus ille liber autenticus [205]) et verax, qui testimonio auctoris sui continet duodecim milia mendacia! Certe dicit magnus doctor Augustinus, quod si vnum solum mendacium in euangelio deprehenderet, totum residuum eodem modo quasi mendacium reputaret.

Sed de alcorano loquamur, de quo iam non sunt contenti Sarraceni dicere, quod sit liber Machometi, sed vere sermo dei. Sed quomodo non fuit verecundatus ille deus, qui dixit alcoranum, quod tot mendacia manifeste ibi dixit? Nam ibi scriptum est in pluribus locis, quod Maria, mater Ihesu Christi, fuit filia Amram, patris Moysi et Aaron, quod fuit soror Moysi et Aaron, cum constet, quod Maria peperit Christum tempore Cesaris Augusti, qui regnabat Rome et iam habebat monarchiam. Vnde et mandauit, vt describeretur vniuersus orbis, et iam diuisum erat regnum Iudeorum, et regnabat ibi Herodes et Philippus, frater eius, sub principibus sacerdotum Anna et Caypha, cuius historie tempora nota sunt Iudeis et gentilibus et Christianis. Maria vero, filia Amram, soror Moysi et Aaron, mortua est in deserto, antequam Iudei intrarent terram promissionis, cuius tempora nota sunt Iudeis et Christianis, quo tempore certissimum est quod nec Roma adhuc fundata erat, nec templum Iherusalem, cum tamen tempore passionis Christi ministri et pontifices templi testarentur, quod nec haberent regem nisi Cesarem. Vnde fluxerunt inter vnam historiam et aliam et inter vnam Mariam et alteram plus quam mille et quingenti anni.

Ipse autem Machometus dicit in capitulo *Elchama* [206]), quod interpretatur *luna*, quod luna scissa fuit tempore suo, et media pars cecidit super vnum montem, qui appellatur rubeus, et alia medietas super alium montem ex alia parte ciuitatis. Sed quomodo potuit scindi luna? et si fuit scissa, quid habet de natura corporis grauis, quia cecidit? et si cecidit, quomodo non occupauit magnam partem terre? vel mare et humida non sunt confusa? vel quomodo potuit latere tantum miraculum toti mundo? Nec ipsi Sarraceni hoc exponunt yperbolice, aut similitudinarie, vel aliquo modo spirituali, sicut nos aliqua, que in apocalipsi sunt, sed omnes exposiciones eorum exponunt ad litteram, et dicunt, quod luna vere scissa est, quia Machometus innuit eis, quod sic faceret ad confirmandum discipulos suos, qui ab eo petebant signum.

XXXIIII. QUOD LEX PREDICTA EST IRRACIONABILIS.

Est enim doctrina Machometi irracionabilis. Quis enim vmquam potest racionabilem causam assignare de eo, quod ibi scriptum est de repudio vxoris? Nam ibi scriptum est, quod quot vicibus repudiauerit eam, potest eam reconciliare, sed post terciam repudiacionem si wlt eam reconciliare, oportet quod prius accipiat eam vnus alter et cognoscat eam.

Maxime vero irracionabile videtur et impossibile, quod in pluribus locis scriptum

205) *attencius* G.

206) Est arab. القمر (*elkamar*). Est sura LIV.

est in alcorano, quod demon ideo factus est dyabolus, quia noluit ad preceptum Dei
5 adorare Adam. Et est in arabico scriptum tali verbo, quod oportet intelligere de ado-
6 racione [latrie . . . *drucond* . . .][207]. Sed quomodo esset Deus ita oblitus suorum preceptorum, quod tociens repetiuit dicens: „Dominum Deum adorabis et illi soli seruies?“

7 Non minus autem est irracionabilis lex ipsa in felicitate et beatitudine, quam pro-
8 mittit. Nam pro vltimo fine promittit ortos irriguos, vestes, comestibilia et mulieres pul-
9 chras. Eritque pupilla oculorum ipsarum mulierum nigra sicut atramentum, aliud autem
10 oculi erit sicut ouum strucionis. Et erunt mulieres verecunde, sub cortinis expectantes.
11 Et hec omnia non exponunt similitudinarie, sed accipiunt ad litteram.

12 De virtute autem et perfectione intellectus nichil omnino dixit Machometus, et certe in hoc bene fecit, quia homo totus lubricus et illud promisit pro beatitudine, quod
13 in sua carnalissima mente precipuum erat. Nec permisit eum Spiritus Sanctus in hoc mentiri nisi ita patenter, quod omnes faciliter possent deprehendere suam peruersitatem doctrine.

14 Et quia sapientes eorum incipiebant notabiliter execrare peruersitatem legis et quia euacuari poterat tam per libros prophetarum, quam per legem Moysi, quam eciam per veridicos libros philosophorum, ideo Calife de Baldaco ordinauerunt, quod nullum aliud studium esset in Baldaco nisi de alcorano, et ideo inuenimus eos valde modicum
15 scire tam de veritate theologie, quam de subtilitate philosophie. Nichilominus tamen sapientes eorum nullam fidem adhibent dictis alcorani, sed ipsum derident in secreto; in
16 publico tamen ob timorem honorant. Multitudo vero decepta et a Deo occulto iustissimo omni iudicio execata[208]. Et eciam magistri communes affirmant, quod de veritate theologie et necessitate salutis nichil remansit in mundo incorruptum et integrum de prophetis et euangelio, nisi quantum ponitur in alcorano, et dicunt, quod nos falsificamus euangelium, et Iudei prophetas et legem Moysi pro eo, quod neque in lege, neque in prophetis, neque euangelio inueniuntur scripta, que in alcorano dicuntur, sed contrarium
17 est, quia manus eius contra omnes et manus omnium contra eum. Machometus tamen
18 in alcorano commendat Penthateucum et prophetas et maxime psalterium. Super omnia vero commendat Christum et euangelium et dicit, quod Christus dicit in euangelio: „An-
19 nuncio vobis, quod legatus Dei veniet post me, et nomen eius Machometus.“ Sed quia istud non est scriptum in euangelio, non recipiunt euangelium et dicunt, quod corrupi-
20 mus euangelium. Sed quomodo potuerunt Iudei et Christiani, inter quos est tam antiquum odium, conuenire ad corrumpendum Penthateucum, prophetas vel euangelium, que scripta erant et diuulgata in toto mundo et omnibus linguis? et quomodo Latini et Greci potuerunt conuenire cum Caldeis, qui sunt Nestorini et Iacobini, et fuerunt ab eis scismatici et excommunicati ante tempus Machometi, et eciam adinuicem sunt ita contrarii?
21 quomodo conuenirent, vt mutarent euangelium? Nestorini totaliter sunt contrarii Iacobinis ante tempora Machometi, et tam Nestorini quam Iacobini sunt prescisi a Latinis et Grecis ante tempora Machometi, et tamen nos inuenimus aput eos et in caldeo et in hebraico eandem translacionem et veritatem in euangelio, que est apud Grecos et Lati-
22 nos. Quare eciam magis deposuissent extra euangelium Christiani nomen Machometi, qui tantum commendauit Christum et euangelium, cum dimiserint ibi integro scripta no-

207) Absurda haec vocabula non intelligo. De re autem cf. Coranum Sura II v. 32 sqq. VII. 10, XV. 26 (31), XVII. 63, XVIII. 48, XX. 115, XXXVIII. 71 (74).

208) *execata*] excaecata.

mina Herodis, qui eum persecutus est? Pilati, Anne et Cayphe, qui eum crucifixerunt? et Iude, qui prodidit, et Petri, qui negauit eum? Preterea talis mutacio aut corrupcio euangelii aut fuit occulta, et tunc non potuit esse generalis, et remaneret veritas euangelii in aliqua prouinciarum, aut fuit generalis et manifesta, et tunc non potuit esse occulta et credita. Preterea si Sarraceni sciunt, quod aput omnes Christianos in toto mundo est euangelium corruptum et mutatum, ostendant nobis aput ipsos euangelium integrum. Nam et in Baldaco et in Meccis [209]) fuit studium ab antiquo, vbi in archiuis Sarracenorum libri antiquissimi reperiuntur et conseruantur, quos nobis ostendebant, et tamen numquam potuerunt nobis ostendere aliud euangelium nisi sicut est aput nos. Hoc eciam, quod Sarraceni dicunt de euangelio et prophetis, quod sint corrupta aput Christianos et Iudeos, est expresse contra legem eorum. Nam Machometus dicit Sarracenis in alcorano: „Si oriatur aliqua dubitacio aput vos, queratis ab illis, qui prius receperunt librum, scilicet Christianis et Iudeis.“ Et postea dicit, quod Deus dicit: „Nos veritatem conseruauimus et conseruabimus aput eos.“ Hoc totum indicari dicunt alcorano ex ore Dei; ergo Machometus mitteret eos ad corrupta exemplaria? Et faciunt eciam Deum mendacem, si non seruauit veritatem suam in libris Christianorum et Iudeorum, sicut dixit.

Hec sub breuitate et quasi preter propositum diximus, vt daremus occasionem maioribus efficacius impugnandi legem tante fidei.

XXXV. QUOD LEX SARRACENORUM EST VIOLENTA.

Sexto et vltimo sciendum est, quod lex Sarracenorum est violenta et per violenciam introducta. Vnde aput ipsos certissimum est, quod lex ipsa solum durabit quantum durabit aput eos victoria ensis. Nam ipsi omni feria sexta hora nona congregantur ad oracionem et exposicionem legis. Sed antequam predicator incipiat, extrahit ensem et ponit euaginatum in loco eminenti, vt ab omnibus videatur, in signum, quod per ensem incepit lex illa et per ensem terminabitur. Sane ipsi falso suo prophete arrogant multa miracula, scilicet quod ipse fregit lunam et reintegrauit, et quod luna intrauit ei per manicam, et quod camela ei locuta est, et quod ipse ascendit super quandam bestiam minorem mulo et maiorem asino, et nomen bestie *elberach* [210]), et iuit super bestiam illam vsque ad vltimum celum in minori spacio quam in ictu oculi. Et ibi in celo impetrauit graciam cuidam angelo, qui flebat peccata sua. Qui angelus est maior quam totum vniuersum centum vicibus; et multa talia, que omnia sunt contra ipsum alcoranum eorum, qui dicit, quod Deus dixit Machometo: „Ideo non permitto te facere miraculum, quia scio, quod tibi non crederent; sed dabo tibi ensem, vt per violenciam eos cogas credere.“ Sed quomodo ei non crederent, si faceret miraculum, qui ei sine aliquo miraculo crediderunt? et legem tante perfidie receperunt? Ipse eciam Machometus in alcorano prohibet, ne de eo credatur nisi quod in alcorano scriptum est, et in alcorano illa miracula non sunt scripta. Scribit tamen duo signa vel argumenta, que et ipsi Sarraceni reputant sufficientissima ad probandum, quod alcoranus sit opus Dei et

209) Mensis G.

210) Est arab. البُرَاق *elburak*. Mordtmannus conferri iubet Freitagii lexicon s. v. docens, esse animal seu iumentum in Corano memoratum, quo Muhammedes ex templo hierosolymitano in coelum evectus fingatur, quodque molis atque formae fuisse inter asinum et mulum interpretes addunt.

non hominis. Vnum est, quia ipse dicit, quod talem librum non possent facere nec angeli nec demones. Aliud est, quod, si alcoranus non esset a Deo [211]), in eo essent multe contrarietates. Sed certe multe sunt contrarietates in eo, et contradicit sibi ipsi. Nam ipse in pluribus locis prohibet Sarracenis, quod non debeant altercari nec aspera verba dicere cum hominibus alterius secte, sed debent eos libere dimittere Deo, qui dirigit quem wlt et facit errare quos wlt; et quod ipsi non habent Deo reddere racionem de illis, qui errant, quia vnusquisque sibi ipsi errat vel proficit. Et prius et post in pluribus locis precipit de alcorano, dicens: „Occidite illos, qui non credunt, donec credant." Primum argumentum concedo, scilicet quod angeli nullo modo scirent vel vellent facere librum tot mendaciis et blasphemiis et obscenitatibus plenum, demones vero bene sciuerunt. Credo tamen, quod cum magno conatu et sollicitudine tot facinora et scelera composuerunt. Vnde eciam in alcorano scriptum est, quod alcoranus placet demonibus, et quando ipsum audiuerunt *elgen* [212]), quod interpretatur demones, admirati sunt valde et commendauerunt librum, et multi ex ipsis demonibus facti sunt Sarraceni.

Possunt igitur faciliter conuinci Sarraceni et confutari per libros sanctos et auctoritatem sacre scripture, per libros eciam philosophorum et viam racionis, facilius tamen per ipsum alcoranum, qui suam ipsius falsitatem abhominabilem se legentibus manifestat. Possunt eciam et faciliter confutari per nefariam vitam sui prophete Machometi, qui in luxuriis, adulteriis et rapinis execrabilem vsque ad finem vitam duxit. Nec valet aliquid responsio Sarracenorum, qui dicunt, quod Moyses occidit et Dauid adulterauit, et tamen vterque Dei nuncius et propheta fuit, quia in talibus sceleribus non finierunt vitam, sed inuenitur contricio et penitencia eorum; de Machometo autem nec contricio nec penitencia inuenitur, sed semper in omnibus sceleribus addebat blasphemiam, dicens: „Deus mandauit michi, quod tale adulterium committerem." Sic legitur in alcorano, quando acceperat vxorem cuiusdam amici sui nomine Zeich, cum argueretur, dixit: „Ve tibi, Zeich, quia Deus maritauit vxorem tuam michi. Et testes sunt Michael et Gabriel." Et fecit inde legem et capitulum in alcorano. Simile fecit, quando concubuit cum quadam Iacobina nomine Marica. Respondit dicens: „Deus mandauit michi, quod non seruarem iuramentum." Et fecit inde capitulum in alcorano. Quia vero predictus nepharius Machometus dixit se esse prophetam et nuncium Dei missum cum miraculo virtutis generatiue, vt multos filios generaret, vt Sarracenorum populus augeretur, comprehenditur in mendacio patenter, quia tunc multas vxores habuit et concubinas et ancillas, non tamen habuit nisi vnam filiam, cum tamen, vt se iactabat, habebat virtutem luxuriandi quantum habent quadraginta homines. Ipsi eciam Sarraceni inducunt pro efficaci argumento, quod Machometus, homo ydiota, sine Deo non posset nec potuisset facere alcoranum, vbi sunt tam multa de nouo et veteri testamento. Tamen sunt ibi multo plura contra nouum testamentum et vetus. Verumtamen certissimum est in omnibus partibus orientalibus, quod Machometus habuit tres pedagogos, scilicet duos Iudeos, quorum nomen vnius Salon Persa et nomen alterius Aabdalla (quod interpretatur seruus Dei), filius Sela. Et isti facti sunt Sarraceni, et docuerunt eum multa de veteri testamento et multa de Talmud. Alius autem fuit monachus, et nomen eius Bahheyin, Iacobinus, qui dixit ei multa de nouo testamento et quedam de quodam libro de infancia Saluatoris et

211) *adeo* G.

212) Est عِلْجٌ (*eldschin*).

de septem dormientibus, et ista scripsit in alcorano. Sed magister ipsius maior credo 31
quod fuit dyabolus.

XXXVI. MIRACULA SARRACENORUM.

Sciendum autem, quod Sarraceni affirmant, quod multi eorum habent spiritum 1
prophecie. Et quedam vera de futuris dicunt et multa falsa. Dicunt eciam, quod vsque 2
hodie vigent miracula, sed pocius sunt quedam prestigia et signa mendacissima.

Habent eciam quosdam religiosos in Thurchia et Perside, vbi est maximum fri- 3
gus, et ibi multi moriuntur frigore eciam cum multis vestibus. Qui religiosi vadunt to- 4
taliter nudi; vngunt se tamen quodam oleo, quod valet multum contra frigus. Et ex 5
consuetudine eciam non timent frigus.

Habent eciam in Baldaco quosdam alios religiosos, filios perdicionis, qui despe- 6
rantes semetipsos extinguunt, ignem magnum calcantes cum pedibus discalciatis, vt 7
homines admirentur. Et eciam coram hominibus comedunt scorpiones et serpentes non 8
solum crudos, sed eciam crudos viuos. Sed signum aliquod vtile, puta deliberacionem
inferni vel aliquid tale, nullo modo possunt facere, sed sola Antichristi signa vt pre-
cursores Antichristi faciunt. Notandum autem, quod licet Machometus non propheta, vt 9
dicunt Sarraceni, duas tamen prophecias dimisit Sarracenis, quas credo esse satis veras
et conuenientes populo Sarracenorum. Vna est quia dixit eis: „Post me diuidemini in 10
LXXIII sectas siue diuisiones, ex quibus vna tantum saluabitur, totum vero residuum
igni deputabitur.“ Vnde cum ipsi sunt diuisi in multas sectas, quilibet dicit de se: „Ego 11
sum illa, que saluabitur.“ Alia vero prophecia est, quam credo adhuc magis veram. 12
Nam ipse dixit Sarracenis omnibus in alcorano: „Nullus vestrum est, qui non vadat ad 13
ignem inferni.“ Quod eis prestabit, qui viuit et regnat in secula seculorum. 14

Explicit liber peregrinacionis fratris Ricoldi[213], *ordinis predicatorum.*

213) Inscriptio et subscriptio habent *Richol-dus*, contextus, quem dicunt, verborum prae-fatione § 1 *Ricoldus* praebet, quod praeferen-dum duximus.

INDEX NOMINUM.

B. est Burchardus de Monte Sion.
O. est Odoricus de Foro Iulii.
R. est Ricoldus de Monte Crucis.
W. est Wilbrandus de Oldenborg.

Aabdalla R. XXXV 28.
Aaron B. prol. 2.
Abaga R. IX 51.
Abarim mons B. V 16, VII 33 bis, VIII 3, IX 20, XI 3.
Abdia B. VII 11.
Abel B. IX 25 bis.
Abelmeula B. VI 3. 4.
Abimelech B. IX 29.
Abinoem B. IV 6.
Abisach B. VII 7.
Abob B VII 33. R. IV 29.
Abraham B. prol. 11, VI 9, VII 48, IX 21 bis, 23. R. I 33.
Absalon B. VII 57.
Accaron B. IX 6, IX 20, X 11, X 13, XIII 12. W. I 1, 3.
Accon (Acon) B. I 2 II 1. 5, III 1, IV 1 bis, 5, 19; V 1, 2; VI 1. 7, VII 1 ter, 17, VIII 1, X 1 bis, XII 4, XIII 7. R. I 1, II 1, III 1, VI 29, VII 1. O. I 1, III 1. W. I 2, 13. 15. 12, 3. Cf. acconensis.
Acconensis ciuitas I 5 bis, II 1 passim; II 5. 30, IV 19.
Achab B. VII 6. 11. 17.
Acharon v. Accaron.
Achaz B. VIII 1.
Acheldemach B. VIII 1. 5. 6. R. IV 23. O. XXIII.
Achila collis B. IX 13. 14.
Achille v. Achila.
Achon v. Accon.
Achor uallis B. VII 37,
Acra ad S. Samuelem B. VIII 1, IX 1.
Adam B. IX 23. 24. 25, XII 3.
Adama O. LV 2.
Adamodana W. I 24, 1.
Adene W. I 20, 1.
Ader turris B. IX 10.
Adommim B. VII 56. 57. 58.
Adonias B. VIII 1. R. IV 60.
Adrianus B. VIII 1. 4.
Aegyptus v. Egyptus, Egiptus.
